DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
FLUORE
ALBO,
Quam
Auſpiciis Divinis,
& indultu
Gratioſiſſimi Medicorum Ordinis,
PRÆSIDE
Viro Nobiliſſimo, Excellentiſſimo atq; Experientiſſimo
DN. GEORGIO VVOLFFGANGO
VVEDELIO,
Med. D. Theoret. Prof. Publ. Archiatro Saxonico, S. R. I.
Acad. Naturæ-Curioſorum Adjuncto,
DN. Præceptore, Patrono atque Promotore
ætatem devenerando,
PRO LICENTIA
Summos in arte medica honores, inſignia
ac Privilegia Doctoralia legitime capeſſendi,
publicæ Philiatrorum diſquiſitioni ſubjicit
GEORGIUS ERICUS THILL,
Poſ. Hung.
Ad D. Decembr. A. M DC LXXXII.

PROOEMIUM.

UTerum ſexcentarum ærumnarum, innumerarumq; calamitatum mulieribus autorem eſſe, veriſſime ſcripſit *Democritus* ad *Hippocratem*. Si enim morbos mulierum penſiculatius intueamur, quorum ingens ſane eſt numerus, pleroſque propter uterum fieri in fæminis animadvertimus, cujus quoque gratiâ fit, ut omnem morbum ſecundum *Helmontium* bis patiatur fæmina.

Nam licet & in aliis ſeſe exerant partibus morborum agmina, uteri tamen communis eſt calamitas, quâ omnibus conſentit. Spiritus enim, qui intus agit, mobilis eſt & permeabilis ubique, quem ſi laceſſat malum, turbas movet in ultionem, de quibus participant cœtera quoque viſcera. Hinc non immerito impetum facientem *Hippocrates* vocat ſpiritum, moventem ſub tempeſtate oborta totam microcoſmi machinam magis minusve, pro cauſarum occaſionalium ratione. Hinc dolores, tremores, convulſiones, ſuffocationes, effluxus, & plurima alia exurgunt incommoda, quibus uterus quoque aliquando anſam dedit. Inde eſt, quod uterus, tanquam nobiliſſima corporis fæminini pars & utiliſſima, propagandæ ſpeciei à natura deſtinata, quò plus juvat corpus, bene conſtitutus, eò magis adverſatur male habens, tantò enim majus eſt vitium, quantò nobilior pars, quæ peccat, habetur.

Eſt tamen & uterus quoque, ut reliquæ etiam partes, ſine ſanguine animante & vegetante iners & inutile viſcus, cujus quadrâ dum vivit, nutritur & augetur, pro ejus conditione etiam bene maleve habet. Sanguis

hic motu ſuo circulari dum volvitur,ad hæc littora quoque alluit,& qui à nutritione ſuperfluus & oneroſus corpori, ordinato naturæ tempore ſecernitur, unde vaſa plurima tùm ſanguifera tùm lymphatica quoque huc tendunt, quæ ipſa, miro naturæ artificio conſtituta, ſuas ſi ſecundum naturam perficiant deſtinationes, & toti, & utero quoque ſalutariter res cedit;ſin ſecus,morbus adeſt, qui ſanam vim, ſive mavis ſanitatem labefactat & diſperdit.

Neque ſolum ſanguini hoc loco peccanti, ſed & ſero ceu individuo ejus comiti, ſua culpa eſt. Ab illo ut calor, ita ab hoc humidi poteſtas reſultat, ab utroque autem viventis temperies procedit, ſi proportio ſubſit, & intemperies quoque, ſin aliter ſe habeat. Moventur utrique humores in rivulis ſuis, & vitium capiunt, ni moveantur, perpetuum dixeris mobile, quamdiu vita & ſanitas adeſt.

Eſt quoque circumſcriptus à natura limitibus ſuis curſus hic ſanguinis & lymphæ, ne ſuos excedat fines, neve evagando naturæ vim inferat. Unde ſi arteriæ advehendo, venæ & vaſa lymphatica revehendo circulum ſartum tectum ſervaverint, machina humana in continuo ſanitatis perſtat vigore, rupto vero hoc vel exorbitante circulo tùm inordinatio, tùm læſio preſſo pede ſuccedit. Uterus ergò morbis quam plurimis obnoxius, cum de ſanguine & lympha plurimum participet, utriusque vitia quoque frequenter ſuſtinet.

Potiſſimum vero *Lymphæ Uterinæ* ſtatum p. n. hac vice ſpectare animus eſt, quo ſuis excidens torulis & porulis glandoſi corporis relinquit domicilium,& extra oras muliebres foedo effluit,*albo* dicto,*profluvio*.Cujus mali cauſas pervidere,& curam ſubjicere, minori gratiæ, quam ſcientiæ & inveſtigationis medicæ ratione habita, pro ingenii modulo, Inaugurali Diſſertatione conſtitui, quod ut feliciter eveniat, ſummus Archiater adjuvet!

CA-

CAPUT PRIMUM.

Ὀνοματολογίαν exhibet.

NE nominis acceptio diversa nos remoretur, præprimis in limine, HOMONYMIAS ratio habenda est. Fluor albus *latissimè* quidem pro quocunque & ex quacunque corporis parte proficiscente & excreto albo humore accipi potest, ut sunt fluxus naturales, nonnaturales & præternaturales, e. gr. muci è naribus, ichoris è fonticulis, lactis, seminis, pituitæ, puris, & chyli effluxiones; illa tamen acceptio vix in scholis medicis usitata est. *Late* vero, in muliebrium affectuum doctrina, pro mensibus decoloribus & in specie aquosis, albis, serosis vel pituitosis, aliquando sumitur, cum quo affectu sæpe confunditur hic fluor, quæ ipsa, ut impropria significatio, nostri non est scopi. *Strictè* nempe & *propriè* hac vice nobis dicitur is fluxus albus, qui à rubro distinctus subjecto, materiâ, tempore & colore, & per proprias exit vias. Hinc *Sylvius* fluorem muliebrem potius & aptius dici asserit, quàm alba menstrua, *Prax. Med. l. 3. c. 4. §. 1.* quia diversus & peculiaris à menstruis distinctus est fluxus.

Non uno scilicet affectus hic gaudet nomine, sed pluribus eandem tamen rem designantibus, modò distinctione jam datâ eadem lustremus. *Hippocrati* audit ῥόος λευκὸς *fluor albus* passim. Uti enim fluxus talismodi fæminis solis competit, quem ῥόον γυναικεῖον muliebrem in genere appellat, *5. aphor. 56.* ita duplex hic ipse est, αἱματώδης *sanguinolentus*, ordinarius & naturalis, & λευκὸς *albus*, quos conjungit *l. 2. de morb. mul. c. 76. t. 6. Galenus* similiter muliebre profluvium vocat *l. 6. de loc. aff. c. 5. & l. 3. de Sympt. cauf. c. 4.* ubi inter *uteri rheumata* illum subinnuere videtur. *Aristoteles* vero τὰ λευκὰ propriè in puellis considerat, quæ loco menstruorum ipsis eveniunt, cùm sanguis incoctus & crudus est, *l. 7. hist. anim. c. 2.* Dicitur etiam ῥοῦς τῆς ὑστέρας, Fluxus matricis ab *Erote vulgò Trotula de pass. mulier. c. 23. Ludov. Mercat. l. 1. c. 15. de mulier. affect. Joh. Heurnio de morb. mulier. c. 4. Fernel. l. 6. patholog. c. 16.* Diuturna uteri destillatio *ab Aetio Tetr. 4. serm. 4. c. 65.* Fluxio uteri *Paul. l. 3. c. 63.* Symptoma uteri *Albertus Bottonus* vocat *de morb. mulier.*

mulier. c. 57. & quidem in exeunte mutato. Præterea fluor uterinus, fluxus albarum humiditatum, alba uteri purgamenta à feliciſſimo *Fel. Platero Tract. 3. l. 2. c. 7.* & *L. Septal. animadverſ. l. 5. §. 146. p. 259.* Purgatio, menſes albi, licet impropriè; Aliis Gonorrhœa *notha* appellatur, vel vulgaris, quod occurrit apud *Lang. l. 2. epiſt. 5.* quibus materia hujus fluxus ſeminale recrementum videtur, qualis in viris contingit. Quin & uteri catarrhus juxta *Schneiderum* aſcititio nomine inſigniri poteſt haud incommodè, tum ob materiæ catarrhoſæ ἀναλογίαν quandam, tum ob fluxum interpolatum, & potiſſimum lymphæ, ceu materiæ, & vaſorum ejus, glandularumq; haud levem culpam. Germanico idiomate exprimitur, der weiſſe Fluß / oder Weiber-Fluß.

Ab excreto itaque humore fluor dicitur, albus vero à materia ſanguini contradiſtincta.

CAPUT II.

Πραγματολογίαν tractat.

CUm malum hoc & colore & fluore moleſtum ſit, ac inſenſum fœminino generi, & decori ejus contrarium, in naturam & rationem ejus formalem penitius inquirere opus eſt. Nempe communi medicorum ſuffragio inter res p. n. ad Symptomata refertur, eaque excretorum. Cùm enim ſecundum naturam in fœminis ſeorſim, præter ſangvinem menſtruum ſtrictè ſic dictum, acquiſitâ pubertate, per uteri vias & verenda nullus humor emanare debeat, ſponte patet, vitioſum eſſe fluorem album, extraordinarium, intempeſtivum & p. n. à ſanguine alienum, & diſtinctum, adeoque naturam lædere. In ſpecie verò inter excreta in qualitate, ſæpè & quantitate, loco, tempore, & aliis accidentibus peccantia interſeri meretur, cujus definitionem ponimus ſequentem.

Fluor albus eſt inordinatus lymphæ in glandulis uterinis ſtagnantis & ichoreſcentis p. n. per muliebria effluxus, vel ab archeo uteri irritato, vel glandularum laxitate dependens.

GENUS h. l. cùm vix commodius ſuppetat, effluxus eſt, modum ſimul fluoris exprimens; Fluit enim in affectis materia magis vel minus fluxilis, inſtar muci è naribus, vel ichoris è fonticulis. Inordina-

natus dicitur, tùm *respectu temporis universalis*, quia in aliis continuò ferè fluit & quotidiè, pro ratione materiæ acris magis & irritantis, vel gravantis copiæ, ad extrusionem solicitantis naturam; in aliis periodicè & statis temporibus seu per intervalla repetit; aliis bis terve in mense citrà ordinem inter duas purgationes profluit, modò nullo ordine, certâve periodo. Vid. *Rod. à Castr. de morb. mulier. c. 4.* Tum *particularis*, intuitu menstrui & collatione cùm ejus fluxu, qui inde nomen habet, institutâ, quem modo præcedit, modò comitatur, modò sequitur, quod sæpissimè fieri *Rod. à Castro c. l.* asserit, confirmante *Exc. DD. Præs. Theorem. p. 79. §. 72. & Plater. observ. libr. III. p. 781.* Vel intermedio accidit tempore, imò in graviori statu ipsorum mensium locò visitur, & suppressis quoque adest mensibus. Hinc distinguitur hic fluxus à nonnullis in legitimum & spurium; illum dicendo, qui continuò & promiscuè citrà statam temporis periodum indifferenter affligit; hunc, qui per intervalla sive vices repetit, reditque.

Quod autem materiam hujus fluxus concernit, de quâ paulò post fusius agemus, lympham diximus, sive serum, quod omnium humorum tincturas imbibere potens, hinc vario colore exiens observatur, uti in differentiis clarius patebit infra, quamvis ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ fluor albus salutetur.

DIFFERENTIAM à subjecto, materiâ, causis & viis desumptam reliqua verba innuunt, unde differt à gonorrhœâ, si quæ datur, vera, stante recentiorum de ovario hypothesi, à mensibus decoloribus, ab uteri abscessu & purulento effluxu, & cœteris similibus affectibus.

CAPUT III.

Subjectum sive Partem affectam inquirit.

Cùm sexum muliebrem tantummodo tangat & angat hoc malum, colligi vel inde necesse est, partem illam, ob quam est, quod est, fœmina, UTERUM potissimùm in eodem affici, vel saltim symbolam suam huic addere.

Quare, ut partem affectam solicitè rimemur, de quâ contentionis serra reciprocatur inter autores, uterum h. l. tanquàm machinam hydraulicam particularem, Polydædalæ naturæ artificio factam, in abdominis cavo concipere licet. Hæc, juxtà Anatomicos, glandulis, vasis, poris, ductibus, cribris instructa est plurimis, & usibus variis destinatis. Hinc non tam ut generationis officina & domicilium embryonis, seu nutrix ovuli, considerationem nostram subit, quam quatenus glandulæ & vasa lymphatica eidem famulantia cum reliquis partibus ejusdem affecta fluori albo producendo favent.

Huic locum & nomen concedit uterus, qui diversimodè spectatus, tùm activè, tùm passivè se habet; h. e. ut Medici loqui amant, modò subjectum excretionis & collectionis, sive recipiens, secundarium; modo generationis, sive fons, & primarium. Aliis subjectum causæ & symptomatis, pro diverso respectu, dicitur, prout afficiendi modus variat, & vel per essentiam, vel per consensum in his illisve subjectis affectus fuerit. Quâ adhibitâ distinctione, tanquàm filo ariadnéo invento, ex labyrintho veterum, circà subjectum sive partem affectam dissentientium, quos longâ serie enumerat *Schneiderus de catarrh. lib. 3. c. 8. & Rod. à Castro in Schol. c. 14.* &c. facilior dabitur exitus. Illi nempe utero non affecto fluxum hunc fieri posse, *Galeno* duce *libr. 3. de caus. Sympt. c. ult.* & *6. de loc. aff. c. 5.* statuunt, quem tamen fluxum magis muliebrem quàm uterinum dici debere volunt, utpote, qui posterior ex illorum hypothesi, ab uteri particulari magis vitio oriatur, & ex ejus locellis tanquam excrementum tertiæ coctionis glutinosum & ichorosum proveniat, prior verò à toto, ut ajunt, corpore, sive certâ parte, ceu termino à quo, ad uterum amandetur. Verùm, cùm antea dicta loci & foci distinctio totam dirimat litem, neque glandularum, exacta saltim, & vasorum lymphaticorum notitia penes Veteres fuerit; cumque fluoris muliebris & uterini passim apud Autores promiscuus sit usus, quamvis in praxi attendi mereatur hæc differentia, & fundamentum quoddam subsit, hinc meritò uterum & ejus partes complexè sumptas pro subjecto symptomatis agnoscimus.

Qui subjectum hujus Massam sanguineam statuunt, per uteri vias sese expurgantem ab excrementis, & in eâ culpam quærunt solam, intacto & illæso utero, non satisfaciunt phænomenis circà hunc

flu-

fluxum observandis, quin confundendo sanguinem cum sero, partem affectam cum materiâ, & abstrahendo sanguinem à partibus solidis; concretè tamen spectandum, plurimis se immiscent tricis & difficultatibus subjiciunt. Nullum enim hic fluxus commercium habet cum sanguine, neque ex hæreditate ejus peti potest materia sæpè copiosa effluens, nisi cum vitæ detrimento, præsertim quòd idem fluxus chronicos usque terminos perseveret, citrà patientis interitum. Licet in massam sanguineam, tanquam in mare, refluat totius corporis lympha; attamen separata etiam visitur in suis vasis, lymphaticis hinc dictis, & glandularum poris. Adeoque ἄλλος est à sanguine, qui non nisi remotè subjectum materiale statui potest.

Afficitur ergò uterus potissimùm quoad poros, glandulas, & vasa lymphatica, quæ uti in aliis partibus totius corporis per αὐτοψίαν plurima sunt, de quibus *Olaus Rudbeck*, vasorum lymphaticorum perscrutator industrius, *Th. Bartholinus*, & alii; ita & in utero reductioni lymphæ à naturâ destinata sunt. Hæc in brutis *Wepferus hist. & observat. apoplectic. 13. p. 383.* ab uteri cornibus, tenuibus exordiis in ductus insignes excrescentia; in testibus fœmininis *Warthonus*, & *Regn. de Graaf de organ. mul. c. 8.* plurima ab utero oriri dicit, quæ externam ejus substantiam perreptando sensim coeunt, & rivulorum ad instar augescunt, donec ad magnum chyli lymphæque commune receptaculum, ubi terminantur, pervenerint, quorum delineationem repræsentat laudatus *Rudbeck. Tab. VII. & VIII.*

Cùm autem perpetuus sit inter vasa lymphatica & glandulas in corpore nexus, & societas, annotante *Exc. DD. Præs. in physiol. Sect. III. c. 28.* ita, ut nullum in corpore, teste *Stenone*, aliisque anatomicis, visum fuerit vas lymphaticum, quod non oriatur à glandulâ, vel in glandulam quandam inseratur, ùtpote cùm glandulæ cribra propria sint serosi humoris à fluido interno secernendi, vel secreti, omninò necessarium est, glandulas adesse in utero, quæ licet sensum fugiant, non tamen hinc negandæ, quod de vasis lymphaticis asserit *Ol. Rudbeck. Exerc. anatom. de duct. aquos. c. 10. fol. 314.* Invenit easdem in utero muliebri conglomeratas, cum suis vasis excretoriis elegantibus, *Bartholinus*, quas in vaccâ descripsit *in libr. de diaphragm. p. 107. & seqq. vid. Act. Hafniens. Volum. IV. obs. XX.* ex literis *Casp. Barthol.* ad patrem

transmiſſis, & *p. 24. de ovariis*. Atque hæc naturæ inviolabilis lex eſt, ut ubicunque ſerum à ſanguine ſecernendum, glandulas huic fini aptaverit; cur easdem ergò utero, ubi plurima vaſa, unde & πολύαιμοι circà uterum ſunt fœminæ, denegabimus? Dari eas porrò in uteri cervice, quæ conſtituitur ex fundo ſenſim anguſtiore reddito, deſinente in anguſtum oſculum, cujus ſubſtantia eſt glanduloſa, *Hornius* probat *in microcoſm. epiſt. annexa p. 124*. Imò juxtà *Beck. in medit. circa rerum nat. princ. p. 193.* etiam Vagina uteri glanduloſa, & poroſa eſt, ut continuò quædam lympha ſoleat tranſudare & genitalia humectare in congreſſu viri. In ſpecie id de proſtatis fœminarum valet. *Graſius* enim in *Tr. de organ. mul. c. 6.* obſervavit ductum urinæ in mulieribus circumdatum eſſe membranaceâ & glanduloſâ ſubſtantia, analoga proſtatis glandoſis virorum, quæ hiat in uteri orificium externum certis canaliculis ac ductibus, ex quibus liquor ſeroſus in coitu mulieribus fluit, qui etiam ipſarum ſemen, licet impropriè, vocatur; & exin gonorrhœa muliebris vulgò ſtabilitur. Et *c. 8.* uteri, præſertim colli ejus, ſubſtantiam quodammodò glanduloſam, & ductus per eam diſperſos humorem ſeroſum compreſſione factâ extillare aſſerit. *Sylvius* quoq; *Prax. libr. III. c. 4. §. 43.* uteri ſubſtantiam proximè accedere ad naturam glandularum perhibet.

Has verò variè affectas eſſe, laxatas vel irritatas, cum ſuis vaſis, arguunt inſuper obſervationes in diſſectis poſt mortem fœminis, fluore albo laborantibus, annotatæ; quandoquidem nullibi non in glandulis conſpicuum fuit vitium, tùm vicinis lumbaribus, & uterinis, tùm & in abdomine, & toto deinceps corpore; induratæ enim repertæ ſunt, in aliis fundentes ex ſe humorem craſſum, ſebaceum, flaveſcentem, quin & vaſa lymphatica diſtenta, turgentia viſa. In aliis circà teſticulos hydatides, & in tubarum extremitate, ſat magnæ conſpectæ lymphâ turgentes inſipidâ; item in aliis uterus ſcirrheſcens, exulceratus, proſtatæ exulceratæ, vel aliter affectæ, quin & in uteri collo ipſo inter rugas ſeu fibras potius ſæpè diverſæ magnitudinis hydatides repertæ, annotante *Graſio l. c. p. 100.* uti ex *Joh. de Muralto Exercit. de lymphâ & ſalivâ in annexis §. 11.* & aliis collegit *Bonetus Anatom. Pract. lib. 3. Sect. 36. p. 1354.* qui uberius conſuli poteſt.

Nullum ergò dubium amplius relictum est, quin glandulæ uterinæ, cum vasis lymphaticis, potissimam hujus affectus partem absolvant, nisi quis partium studio addictus secus statuerit, inque illis omnis omninò culpa fluoris resideat, quæ, uti subtilissimæ sunt substantiæ, sic facilius læsionem subeunt, vel à contento humore, sive lymphâ acri nimis, acidâ, vel salsâ, vel turgescentia ejus nimiâ, aut coagulo inducto, sive externis causis comprimentibus, erodentibus, laxantibus, unde fonticulus hic microcosmi p. n. oritur.

SUBJECTUM ADÆQUATUM, sive causæ, sunt viscera primæ & secundæ coctioni destinata, h. e. viscera chyli secretioni, & seri depurationi inservientia, ut ventriculus, hepar, lien, pancreas, mesenterium, quin & cerebrum, ut pars glandulosa, & omnes totius corporis glandulæ, cum vasis lymphaticis, & quæ de earum naturâ participant viscera, sero generando & cumulando velificantia, secernendo & excernendo improbam navantia operam, verbo, circulationi lymphæ obicem ponentia, tùm in toto, tùm in parte.

Ex hepatis imbecillitate, seu impedito fermento, vel imminuto, propter quod chylus non perfectè in cruorem transmutatur, in specie deducit *Grembsius arb. integr. & ruinos. libr. 2. c. 1. §. 12. de defect. organ. hum. gen.* ex falsâ sanguificationis hepatis hypothesi adductus; nobis potius ob vasorum lymphaticorum numerum, quem in sinu gerit suo, huc facere videtur.

Ventriculum uno ore omnes cum hepate accusant, ob *ἀντιπεραξίαν*, sive contrariam, & sibi invicem & toti actionem resultantem, quâ ille acido fixiori oneratus, & laxior, seu frigidâ intemperie, serosum, crudum, & potentiâ frigidum reddendo chylum, hoc biliosas non ritè secernendo scorias, vel cumulando superfluas, calidâ peccat, unde vitiosus chylus vitiosam suppeditat lympham: utpote qui radix & fundamentum est cœterorum humorum primum.

Huc accerse sis Jus Duumviratus lienis & ventriculi, & consequenter uteri, *Helmontio* ita non sine ratione dictum, quatenus principalia hæc viscera non parùm se respiciunt, quorum utriuslibet actiones læsæ in alterius redundant incommodum, sive sensibilia, sive insensibilia mutuò foveant, alantque collegia.

Patebit autem tùm ex relatione & historiâ ægræ, tùm ex causis prægressis occasionalibus, dispositivis, præparantibus, tùm ex signis hujus vel illius visceris actionis læsæ, tùm ex aliis circumstantiis, quæ proximius vel remotius, primariò & per consensum, magis vel minus, ad hunc fluxum, & materiam ejus fecerint, & causam suppeditârint. Compertum tamen est, plurimas, teste *Sennerto in Praxi, l. de Morb. Mulier. part. 2. s. 2. c. 12.* si non omnes, cruditate ventriculi laborantes, in hoc malum incurrisse, quod, juxtà vulgatũ medicorum assertum, coctionem primam læsam sequantur & secundæ & tertiæ vitia, adeoque ubique vitium suum explicet mala χύλωσις, hanc αἱμάτωσις excipiat vitiosa, & tandem mala nutritio sequatur. Quantum igitur in primâ culinâ situm sit, vel inde cognoscere est.

In specie sub hypochondriis occultata viscera h. l. pati magis minusve, & ad lympham, serumve vitiosum generandum, colligendumve conferre, evidenter testantur mulieres hypochondriacæ, & scorbuticæ, quibus hic fluxus sæpenumerò contingit, uti quidem *Exc. D D. Præs.* observavit, quale exemplum etiam *Acta Hafniens. Volum. V. p. 123.* produnt. Apertè idem loqvuntur signa diagnostica, statûs partis naturalis mutati conditiones, & hinc actionum læsiones dependentes connotantia. Modi verò afficiendi cùm pro causarum afficientium diversitate mirum quantum varient, & agentium juxtà ac recipientium passivorum infinitæ sint alteritates, ab humidarum ad solidas, & spirituosarum ad easdem, mutuâ proportione læsa, sive in motu, numero, figurâ fundetur, & pororum symmetriâ vitiatâ; viscerum sanitatem lædi, & vice versâ, integris his, servari quoque integram, dubio procul est.

Partes glandulosas demùm, sive glandulas seri receptacula, colatoria, diverticula, secernicula, vel eo nomine accusandas duco, ubicunque etiam in corpore hærentes communi usui debitè non vacant, quod lympha in quantitate, qualitate vel motu peccans earum culpam vel remotè saltim præsupponat. Inde morbi à lymphâ oriundi communem sortiuntur causam materialem, & ad glandulas & vasa lymphatica potissimum respiciendum esse, quasi digito monstrant. Hæ namque serositatis seu lymphæ in corpore dispensatrices, quam ex arteriolarum extremitatibus & plexibus

imbiberunt, ſubſtantia ſua perficiunt, depurant, & per excretoria ſua vaſcula, motum hinc illius promovent. Morbi verò glandularum, ad duritiem vel ſcirrheſcentiam tendentium, vel laxitate contra peccantium pororum, vel aliàs affectarum, tum in toto, tum in parte, occalleſcentia pororum ibi quaſi inducta, hic unitate quaſi ſoluta, vel à fermento acidiori fixato in iisdem humore, multum promovere poſſunt circulationis ſeri vitia, & datâ hic ςάσει alibi effluxum cauſari. Hinc *Sylvius* præ aliis pancreaticas accuſat glandulas in hoc affectu. Et quod de glandulis in genere, id ſeorſim quoque valet de cerebro, jam dudum ab *Hippocrate* glandulæ magnæ nomine inſignito, cùm quo uterus maximopere conſentit, ratione membranoſi, nervoſi & glanduloſi generis; ſpirituum & ſanguinis perpetuæ communionis, id quod in affectibus mulierum caput impetentibus palàm & in confeſſo eſt.

Ratione catarrhi verò ſeu fluxus hujus albi, & deſtillationis ejusdem, tantum abeſt, ut à capite, more veterum, ruere & tendere ad uterum per nervos, ſpinam, & alias occultas nobis perſuadeamus vias, ut potius miſsâ hac vana hypotheſi, ſi cum cerebro quicquam commune habet hic fluxus, omne a glandulis, & vaſis lymphaticis, eorumque contento dependere putemus; quod lymphæ motui, & circulo impedito hactenus adſcripſimus. Et licet catarrhi ſæpe & defluxiones aliæ, narium v. gr. in coryza, & oculorum, in nonnullis præcedant, comitentur, vel ſuccedant fluxui albo, non tamen exin inferre licet, niſi fallaciam non cauſæ ut cauſæ committendo, cerebrum in culpâ eſſe, cùm ſeri ubique emunctoria in corpore, & præſertim in capite exiſtant, quæ ſi ritè conſtituta ſecernendo excernant excrementa ſua, ſub archei dominio, benè agitur; ſin impedimenta, obſtructiones, intemperies, & alia obſtiterint, ſuo excidit fine pars, & lympha exorbitat. Hinc & cerebrum à conſortio lymphæ non immune, ſi ob pravam ejus conſtitutionem, & quidem frigidam humidam nimis, ſerum ibi primam labem concipiens, mediante ſanguine ad partes inferas tendat, eatenus ad hunc affectum conferre poſſe occaſionaliter ſaltim, & remotè, excuſari poteſt, quod tamen ex ſpeciali cerebri temperie læsâ, per ſigna manifeſtum poteſt fieri ei, qui

tempore prius affectam partem, & dispositionem subjecti ægri attentius spectaverit. Quare cerebrum, in fluore albo, insons modò in quibusdam, nec nisi per longam consequentiam, & generalissimo concursu ad leucorrhœam hanc quicquam facit. At cum de proximiori subjecto, & mali sede potissimum sub hac generali διασκέψει nobis sermo sit, licet & in aliis focum agnoscere possit partibus, & ad uterum transfundi partium principum vitio procreati humores, ut per uterum tanquam ῥευματισμῷ excernantur, in eas tamen specialius inquirere nunc non licet; hinc ad causas progredimur.

Caput IV.

De Causa immediata & mediata proximiori.

Cùm unius rei plures esse possint causæ, quæcunque vel proximius, vel remotius huc concurrunt, ordine quasque suó rimabimur, à proximâ & IMMEDIATA ordientes, quam h. l. statuere æquum est Archeum uteri irritatum, seu, quod veteres dixere, expultricis & retentricis vasorum uteri irritationem, à materiali heterogeneo, partibus, in specie glandulosis inductam, unde facta constrictione exprimitur lympha male habens, quò recidit imbecillitas vasorum, & glandularum tonus laxatus, transmittentium & plorantium lymphaticum hunc humorem. Est autem uterus pars ut membranacea, sic etiam, ad instar aliarum, maxime εὐαίσθητος, amoliens à se peregrinum omne, & extra se foras eliminans, ab impulsore spiritu p. n. motus. Hinc ob glandularum debile robur, & fibrarum stringentium læsionem, vasis lymphatici angustiam præterlabitur lympha ichorescens, & aberratione viæ per oras muliebres fit excretio, præsertim si concurrente vel prægressâ nativâ, vel ab errore externo adscititia intemperie, frigidâ humidâ, cum materia, h. e. caloris & humidi circà uterum proportione læsâ, foveatur hoc malum, adeoque ad decubitum & στάσιν lympha aptior magis reddatur.

Causa mediata proximior est lymphæ circulatio læsa, sive motus retrogradus impeditus, & ichorescentia. Quippe, cùm ex seri undis proveniat hic humor, lympham tanquam causam continentem, & materialem fluoris albi utique habendam esse, indubium est, quæ tùm in utero potissimum, & circà glandulas ejus stagnans, extravasata, vappescens, & ichorescens, omnem hic absolvit paginam; tùm extrà hoc clima copiosius genita, vel à toto, vel à partibus transmissa, & ad partem debiliorem appulsu facto, fluorem album promovet & auget, vitio fermenti & loci magis inquinante, & vitiosum eidem characterem suggerente.

Quoad glandulas autem, & vasa lymphatica, vitium occurrit in transcolatione, & receptione lymphæ denegatâ, vel impeditâ; non reducta verò per vascula sua lympha in poris hæret, stagnat, coagulatur, in vasis turgescit, & distensione earundem solutionem continui inducit, quod inprimis suspicari licet, si qualitate simul peccans lympha, extraversis salibus, erodat glandulas, vasorumque tenuissimam compagem disuniat. Quâ datâ inordinatione, & læsione fibrillarum, excidens suis è torulis lympha eccentrica non amplius sub vitali archei potestate, conditiones excrementi nacta, in ichorem serius ocyus fatiscit, & morâ factâ corrumpitur, vappescit, proque vario corruptionis gradu, longiori subsistendi morâ, & adscitâ acrimoniâ, sub hoc vel illô schemate mutata exit.

Hinc secundum *modum essendi* peccat (1) *quantitate* & copiâ; Dum excrementitiæ crudæ plures generantur, quàm alimentares in corpore particulæ, nec suis in locis debito modo secernuntur, unde nonnunquam continuus est fluxus in nonnullis, & diuturna molestia, à materiæ continuò ad excretionem solicitantis abundantiâ, non aliter, ac in fonticulis affluxum fieri, derivatis & assuetis illuc humoribus, cernimus.

Peccat (2) & magis quidem *qualitate*, eaque diverso ex colore, & odore, quin & consistentiâ variâ, cognoscenda. Unde modò crassa, glutinosa, in aliis tenuis, serosa, ichorosa, mucosa, cremosa, ovi albumini similis, vel cremori, interdum pallida magis, vel citrina observata est, prout variis intus fermentis imbuta, & ab aeris appulsu extrà magis alterata hâc vel illâ apparuerit

specie;

ſpecie; Uti & à ſalibus commixtis quandoque deturpata occurrit, acrimoniâ modo implicitâ magis, modò explicitâ. Frequentius tamen alba ferè viſitur, unde etiam nomen habet; de quâ elegantem obſervationem habet *Severin. Pinæus l. de not. virginit. 1. Problem. 3. p. 80.* Qui in diſſectis cadaveribus virginum, & mulierum, uteri profluvio albo, dum viverent, laborantium, quamvis ob alium quidem morbum gravem extinctæ fuiſſent, talem humorem oculis uſurpandum notavit. In utero enim earum humor limpidiſſimus inventus, (unde verò ille, niſi de naturâ ſeri?) ex cavitate ejusdem guttatim ſtillans, per verum collum, in ſinum pudoris, in quo candorem tantum acquirebat is, ut cretam, aut calcem aquâ diſſolutam dixiſſes; in aliis etiam majorem, in aliis minorem ejusdem miſtionis craſſitiem, advertit idem.

Huc referendum videtur commodè ſmegma uterinum, à colore & conſiſtentiâ à *D. Olao Borrichio Vol. III. obſ. 33. Act. Hafnienſ.* ita dictum, & obſervatum in fœmina 40. annorum poſt ſterile conjugium in ſecundis nuptiis gravidâ factâ, ultimis menſibus excernente liquorem craſſum, denſumque, ita album, ut nivem provocaret. Cujus craſſamentum, ejusque origo ambiguos reddidit D. Simonem Pauli, & Ol. Borrichium: At quantos Viros! Quid autem obſtat, ſerum chyloſum h. l. materiam præbuiſſe, exiſtimare? quin & alioquin ab aëre frigido, variè admiſſo, & interponente ſe particulis ſeroſis, alborem præ ſe ferre humorem? veluti mucus narium ſæpè & ſaliva hunc induunt, qui prius in vaſis fluxilis jam coagulari incipit, non excluſo tamen acore, ſæpè conjuncto, à glandulis uteri fortean profecto, vel aliunde facilè ſuſceptibili & propagabili, nec non particularum terrearum, in viſceribus non ſeparatarum, cum ſeroſis chyloſis oleoſis confuſione, & in glandulis uterinis factâ præcipitatione. Unde ad occurſum aëris promptius ſe ſiſtit albus humor, qui calore & motu deficiente, extrà corpus elapſus facilè craſſeſcit & ſpiſſeſcit, uti ſerum crudum coctione, & coagulatione & inſpiſſatione albedinem contrahit, & ſerum ex venâ ſectâ quoque lenteſcere ſolet. Imò in ſtatu p. n. in hydropicis, poſt mortem, varios coagulationis & conſiſtentiæ extravaſatæ lymphæ gradus ſtudioſè notavit *Barbette in pr. c. 4. l. 4.* qui primò tenuem & fluidam, deinde gelatinoſam, tertiò concretam, tandem duram & ſteatomatoſam obſervavit

lym-

lympham, ex quo varietates coagulationis, & modi tot in corpore & extra corpus, à fluxilitate desciscentis lymphæ, egregiè emergunt.

(3) Peccat Ichor serosus *motu generationis* & *locali*; illo, quatenus ventriculus & primæ viæ vitiosum chylum, hic vitiosam lympham produxit, adeoque prima quasi materiæ albæ hîc incunabula posita sunt. Negata enim chylo debita aerascentiâ & μετεωρώσει, & evolutis minus particulis chylosis nutribilibus, calore cum fermento debilitatis, obstructisque glandulis, cruditas consequitur, imperfectæ coctionis certissimus effectus, ex quo in cæteris non repurgatus visceribus chylus, nec à corde exaltatus, vel in sanguinem verti aptus natus, ab usu illorũ labefactato, vel impedito quandoque, multarum ærumnarum in corpore fomentum præbet. Hinc salia nec transspiratione debitâ extra corporis limites cum humido evaporabili ablegata, nec separata in renum glandulis, vel in aliis publicis segregata emunctoriis, acrimoniam, quam sæpè in uterinis glandulis explicat serum, excitant, ab eodem vehiculo ad partes has illas eò promptius allata, quò recipientis major vel minor resistendi & superandi eadem fuerit aptitudo.

Inter alia autem chyli, lymphæque impedimenta, tùm vasorum & viscerum obstructiones, intemperies, laxitates, aliæque indispositiones existunt, tùm præsertim generantium & mittentium partium vicem tueri possunt, quæcunque ad seri in corpore & partibus abundantiam, chyli cruditatem & imperfectionem, quocunque modo concurrunt, de quibus anteà dictum.

Hôc vero, sive motu locali ad uteri glandulas procumbens peccat humor, quatenus vel non alimentarius est, & hinc aptè non recipitur, vel ibidem à fermento peregrino concepto, vel illato, depravatus, datâ portâ exitum affectat. Duo enim huc potissimum affluunt naturaliter humores, sanguis & serum; ille menstruâ periodo, per naturalem ῥοπὴν & ὀργασμὸν, per plurima vasorum oscula, tanquam superfluum à nutritione corporis, hîc exitum affectans, hoc, ad alimentum & alios usus confert. De priori autem non participare fluorem hunc, ex eo clarum est, quod menstruatis etiam nihilominus accidat; lymphæ ergò sobolem magis esse asseruimus, peregrinam in uteri loculis induentem naturam, & adulteram fa-

ctam, hincque archeo ingratam moventem irritationem, & per oras muliebres expulsionem. Estque hinc vel *digestionis* illud vitium, quòd ſucci adducti non maturentur, non coquantur, vel assimilentur potius, indeque quasi præcipitatio fit, & turbatio humorum ob frigiditatem; vel *transmissionis* est recrementum, quod ſuſcipit alias debilis & opportunus uterus; non aliter ac natura motum ſæpe criticum instituens à ſe amolitur noxia quæque, & ad glandulas intestinales, in alvi fluxu, ad inguinales & axillares, uti & ſubcutaneas glandulas, in veneni pestiferi excluſione, ad glandulas colli, faucium & aliarum partium, in catarrhis, ſeroſas ejicit quisquilias; ita & ad uteri littora ac glandulas derivat aliorum viſcerum errata.

Vias & *vaſa* quod ſpectat, quæ medium hujus fluxus constituunt, præter communes, poros, & vaſa advehentia arterioſa ſpermatica, plurima ab hypogastrica & epigastricâ oriunda; hinc uterina dicta, fundum, cervicem, orificium internum, & collum ſeu vaginam comitantia, atque per varias anastomoſes hinc inde copulata, proprias vias, vaſa lymphatica cum glandulis, inprimis accuſandas eſſe existimamus, potissimum circà uteri confinia ſitas proſtatas, & alias quoque, quæ, ut ſuprà dictum, variis modis læſa revehendo cum venis latici ſeroſo, ceu muneri ſuo, non ritè vacant. Atque hujus aſſerti evidens argumentum est; quia ſuppreſſis menſibus etiam in nonnullis obſervatur hic fluor albus, unde iterum colligere est, per eosdem ductus ſanguinem menſtruum, & albam hanc eluviem non excerni. Inprimis autem per ordinaria vaſa fluentibus menſtruis, & durante tamen fluore albo, adeſſe aliquando eroſionem ſeu dilatationem nimiam, tenuiſſimorum horum, & foliorum villos ſæpè æmulantium vaſculorum, veriſimile eſt. Imò & poros uteri oleoſas & craſſas retinentes portiones, ſeroſas verò & fluxiles dimittentes, ob figuræ & conformationis diverſitatem, concipere non inconveniens eſt.

A vaſis verò lacteis, ſive chyliferis propriè dictis, quas plurimi ad uterum tendere ſtatuunt, & ſucco nutritio nervorum, qui fluorem album derivare volunt, videant, quî ſtabiliant ſententiam ſuam, & cum antagoniſtis conveniant. Quamvis enim laſſitudinem, & ſpinæ debilitatem, qui poſteriori favent ſententiæ, accommodè deducere

ducere ſibi poſſe videantur, vid. *Lower. de motu cordis c. 2. p. 114.* per illos tamen canales, ſolis æthereis corporibus pervios, tàm craſſam ad uterum vix labi poſſe materiam, aſſerit rectius *Höchſtetterus in obſervat. c. l.* Sufficiat nobis in vaſis lymphaticis, & glandulis hactenus ad illuſtrationem hujus affectûs ſubſiſtere, dum meliora tempus ſuggerat. Hariolari etiam cum *Grafio* licet *c. 8. p. 113.* vaſa lymphatica aliquando pro lacteis imponere potuiſſe, quod improbabile non eſt.

CAPUT V.
Cauſas mediatas remotiores tractat.

Cùm ſolis fœminis proprium hunc fluxum eſſe, jam ſuprà dictum ſit, nihil ſeorſim de SEXU monendum reſtat; hinc ad reliquas CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES, NATURALES dictas, progredimur.

Occurrit inter has TEMPERAMENTUM ſeroſum, humidum & frigidum, ſive phlegmaticum, diſponens utplurimùm ad hunc fluxum fœminas magis. Dicit enim ſtatum caloris juſto minorem, &, ſubjugatis particulis ſulphureis, prædominium ſeroſarum, non in toto ſolùm, ſed & in utero ſeſe exerens; quæ enim præhumidos habent uteros, magis obnoxiæ ſunt huic albo fluxui. Hinc catarrhoſas, & aliis deſtillationibus, & huic quoque ſuſtinendæ aptiores eſſe, exin patet, quod calor genitis indies & cumulatis ſeroſitatibus diſcutiendis impar, abundare faciat ſerum, modò his, modò illis locis. Glanduloſas autem partes naturâ frigidas, reſpectivè minus accipere ſanguinis, & caloris pro ſubſtantiæ ſuæ ratione, & receptivitatis modulo, uti credibile eſt in ſtatu naturali, ita in præternaturali, ſeu gradu caloris jam tùm remiſſiori, id fieri magis, verum eſt, præſertim in partibus à foco remotioribus. Si ſerum itaque, ſive humidum, vel naturâ, vel errore diætæ abundaverit, calorem obtundi vel imminui neceſſum eſt, & hinc frigidos excludit effectus, ad quos ferè inclinat quoque fluor hic albus.

Neque tamen ſolis phlegmaticis & ſeroſis, quibus magis udus eſt ſanguis, accidit, quin & ſanguineo & billioſo temperamento præ-

ditas experiri idem, inter alia phænomena, circà hunc obſervanda, *Excell. D D. Præſ. in Pathol. parvâ* docuit, ut variantis colore ſæpenumero in fluxu hôc humoris, & ſtimuli ratio vel inde quoque facilè deduci poſſit; quamvis viraginibus, & quibus ſolidum, ac ſiccum magis corpus, vel parciſſimus ſit, aut quâdam inſenſibili digeratur transſpiratione, teſte *Höchſtettero rar. obſerv. Decad. 4. caſ. 1. p. 298.*

Quamvis ÆTAS conſiſtentiæ, ſi ordinarium ſtatum luſtremus, magis apta ſit ad hunc fluxum, quando non abſumitur amplius, ut prius, ſuperfluum, & humores ſenſim, ſenſimque vappeſcere incipiunt, quod de ætate declinante jam dudum aſſeruit *Cous. l. 2. γυναικείων c. 1. t. 1.* unde & *Sylvius Prax. Med. l. 3. c. 4. §. 8.* primam ætatem ſive infantiam rectè excluſit: attamen infantes quoque, & puellas teneriores id aliquando expertas eſſe, experientia rarior probat; uti legere eſt apud *Severin. Pinæum opuſc. phyſ. & anatom. de not. virgin. l. 1. problem. 3. Bonaciol. Ennead. muliebr. c. 3. Fernel. l. 6. παθολογ. c. 16. Rod. à Caſtro l. 1. de morb. mul. c. 14. Höchſtett. obſerv. Decad. 4. caſ. 1. Schneider. l. de catarrh. 3. c. 8.* Confirmat idem hiſtoria de puellâ 6. annorum fluorem album patiente, in *Act. Hafn. Vol. 1. obſ. 83.* annotata. *Melch. Sebiz. Exerc. Med. p. 441.* in puellâ quadam ſe deprehendiſſe dicit, & *Excell. D. Præſ.* in duodecenni obſervavit. Quin & *Ariſtoteles* ſuo jam ævo ſcripſit *l. 7. hiſt. an. c. 1.* Καὶ παιδίοις πάμπαν νέοις, *admodum puellis*, quibus nondum per ætatem fluxere menſtrua, etiam viſi ejusmodi fluorem, & contingere alba, ut vocat, menſtrua, & magis, ſi cibo utantur ὑγρῷ *humido*, ſed incrementum impedire corporis, & puellas extenuare, ob humidum fruſtratas; unde ſuſpicari h. l. liceat, glandulas aliquando p. n. etiam in hâc ætate affectas, protuberare, intumefieri, & emittere humorem laceſſitas, quod tamen in raris habetur. Frequentius tamen evenire, & incipere circà tempus inſtantium primum fœminis menſtruorum, quod ordinariè & regulariter anno duodecimo, decimo tertio & quarto, præter propter, contingere ſolet, à *Sylvio c. l.* annotatum, pro cauſarum ſcil. & ſubjectorum conditione & ratione diversâ. Hinc Virgines, quas pallor decoloravit, hôc ipſo affectas fuiſſe, hasque variarum nationum & terrarum incolas, honeſtiſſimas, integerrimæque famæ, tùm in Hiſpaniâ & Galliâ, tùm in Germaniâ, per tri-

enni-

ennium ante menses erumpentes, vel ob caloris debilitatem, vel cruditatum abundantiam, album fluorem passas, vidisse se & curasse αὐτόπτης testatur *Rod. à Castro. Fernel. l. c. River. cent. 1. obs. 46. Höchstetterus, Smetius in Miscellan.* & alii. Unde fallit Montani sententia, & eum sequentium, qui *l. de uter. affect.* qui extat *Tom. Gynæc. ab Israel. Spachio edit. p. 308.* Virginibus denegat hunc fluxum, ob viarum adstrictionem, quæque hunc experiantur, vitiatas & defloratas perperam pronuntiat. Hujus sententiæ infirmitatem, præter experientiam, ante dictam, huic apertè contradicentem, & multarum controversiarum medicarum arbitram, rationum insuper momentis refutatam, videre licet apud *Sennert. l. de morb. Mul. part. 2. s. 2. c. 12. & Schneider. l. 3. de catarrh. c. 8.* Nempe opponit hic *c. l.* castissimas & pudicissimas puellas serosæ colluviei & destillationibus catarrhalibus exponi posse, & urgeri iisdem toto die, quidni ergo, salvâ virginali integritate, talis materia serosa per uteri glandulas & vias aliquando emitti possit? Videtur autem *Montanus* de seminiformi materiâ suspicionem cœpisse, quam de substantia seri esse diximus. Neq; eo tempore tanta adhuc affulsit lux arti Medicæ, quæ hodiè in glandularum & lymphæ, vasorumq; ejus invento resplendescit.

Nec maritatas ab hoc fluxu immunes esse, quin ætate vel mediâ & consistente, vel ultimâ constitutas, fœcundas vel steriles, extrà graviditatis statum, & intrà eundem, nec non viduas quoque ipsum pati satis sæpè molestum, *Sylvius c. l.* testatur, & gravidas in specie quasdam toto gestationis tempore eô laborare, asserit *Charleton Oeconom. anim. Exercit. 8. §. 21. p. 169.* Quamvis autem nonnullis molestiorem esse, quamdiu gravidæ sunt, & pejora aliis tunc experiri tempora, laudatus *Sylvius* observaverit; prægnantes tamen fluore albo affectas, quæ nihilominus ad justum tempus fœtus gestarunt, & vitales pepererunt, sed puellas, vidisse se, scribit *Rod. à Castro c. l.* Ut adeò mirè hæc ipsa varient, pro circumstantiarum concursu.

Huc facit HABITUS CORPORIS mollior, à compage sanguinis & potissimùm seri laxiori, fibris minus solidis & robustis, spirituum rariori texturâ & facilè dissipabili, carnibus laxioribus, lymphâ minus activâ, nervorum robori solido parùm faventibus spiritibus lymphæ immersis. Consignatum etiam à Practicis, colore albi-

albidas mulieres præ aliis malo ſubjectas obſervari, quod ſeroſitatem majorem arguit, fluctuante ſero pluſculo in vaſis, quàm rubicundo ſanguine.

Si ASTRALEM INFLUXUM luſtrare lubido ſit, obſervatum eſt, lunam & ♀em in ſigno humido, in VI præcipuè domo, □ vel ☍ ♄ni afflictam, huic malo velificari; illa enim humorum domina ſerum alterandi præ aliis gaudet poteſtate.

Ex NONNATURALIUM CAUSARUM claſſe, AERIS ſanè vis maxima eſt in motu lymphæ variando, cujus inæqualitate datâ, pro variis locis, φύσεως diverſus conſequitur effectus. Accuſatur cumprimis in noſtro affectu frigidus & humidus, ille concentrando, hic coacervando magis ſerum, uterq; minùs difflando, ſive περιστάσει ſuâ univerſali poros premat magis, vel dilatet minus totius corporis, ſive ad uterum admiſſus ibidem ſeorſim teneris poris δυσκρασίαν inducat. Hinc in locis ſeptentrionalioribus, & paludoſis frequentius malum videas. Ideoque & in illis, quibus inferiores partes minus munitæ & defenſæ ab aëre, quæque in locis frigidis & aquis lavandi causâ verſari coguntur, ob vitæ genus, facili negotio fit læſio tùm univerſi corporis, tùm præſertim, ubi prius admiſſio facta, uteri quoque, & ex hôc errore, non ſolùm ſuppreſſio menſium, tumor pedum, cachexia, & alia proveniunt mala, ſed & inprimis noſtrum hocce.

Huc referenda quoque eſt conſuetudo prava fœminarum nonnullarum, aëris frigidi inclementiam in foro ſæpè mitigare ſatagentium ſuppoſitis κάτω prunis; inde enim ab acido carbonum gas, & vaporoſo ſulphure ſimul ad corpus translato, non poteſt non affici uterus quoque & alterari inſigniter, datâ & hoc modo inæqualitate. Eandem verò videre licet in iis, quæ & frigiditatem hanc aëris ſubitaneo calido permutant, unde contrarietates majores induci corpori, maximè infirmo, neceſſe eſt, & quæ cœlum mutant, ex calidioribus regionibus in ſeptentrionaliores & humidiores transeuntes, ut alios frigidos morbos, ita fluorem album experiri facilè obtingit, aëre, locis & aquis temperamenta mirum quantum alterantibus. Taceo aëris conſtitutionem auſtrinam, & pluvioſas tempeſtates, aptum magis fluxibus corpus diſponere; inde & hyemali & autumnali tempore magis affligere, non vana eſt perſuaſio, quod

æſtivo

æstivo calore intensiori magis ad ambitum corporis alliciantur humores, hyemali verò magis ad intima corporis confluant.

Victus quantum valeat ad hoc producendum symptoma, *Höchstetterus* prolixè persequitur, & cur tàm frequens mulieribus ejus loci fuerit, à communi victûs causâ latius exponit. Potissimùm autem Cibus & Potus huc faciunt, quæ quantitate, qualitate & assumendi vitiato modo ac ordine, humidum seu pituitam in corpore congerere queunt. Hinc jurulenta, elixa, lacticinia, pultacea, farinacea, leguminosa & alia hujus commatis, minus firmum præstando alimentum, fatigando villos, ventriculi robur adimunt & calorem hebetando humidi excessum procurant; ob viscedinem verò & tenacitatem minus resolubilia fermenti activitatem infringunt, ejusque partes salino-volatiles obtundunt, & enervant, ex quo cruditates in sanguine postmodum cumulantur, serosæ portiones in alimentum cessuræ degenerant; & ad assimilandum inidoneæ nutritionem depravant. Sic & excrementitii plurimum habent pisces, inprimis palustres, & glutinosi, qui idcircò malè cedunt, quia non benè digeruntur. Caseus, fructus horarii, oleracea, salsa, pinguia, frixa, dulcia, vario modo concurrentia, minus correcta, contrà regulam sanitatis dictam ingesta, primam digestionem in ventriculo salvam esse non sinunt; saburrata enim ventriculi culina deflectit ab officio, teste *Swalb. disquisit. therap. sect. 12. p. 208.* In puellis & infantibus jure meritò hinc ἀδδηφαγίαν accuses. Quin & glutine viscoso pollentia, cochleæ, ostreæ, nec non acria nimis, & acerba, austera, diversos sapores chylo, & hinc oriundo sero conciliantia, peccare possunt abusu. Ab acidis autem, si non produci, foveri tamen & augeri fluorem album *Sylvius Prax. l. 3. c. 4.* asserit, & inde in Belgio frequentiorem, quàm alibi, putat fœminis contingere.

Sic etiam à potulentorum, inprimis aquosiorum, nimio usu, & acidularum, thermarum, nivosarum crudiorumve aquarum immodicâ ingurgitatione, δυσπεψία oritur, materia serositatibus subministratur, & à cerevisiâ feculentâ, triticeâ, minus lupulatâ, secundariâ potâ, inutiles generantur succi, in excrementorum naturam proximè inclinantes. Verbo omnia alimenta crudiora, & excessivæ humidæ qualitatis insigne pondus huic vitio addunt.

So-

Somnus & Vigiliæ, utraque si modum excesserint, ut semper malum, teste *Hippocrate sect. 7. aphor. 71.* & *2. aphor. 3.* ita fœminas, in his mediocritatem debitam non observantes, certior manet noxa, quatenus ille serum excrementitium in corpore augendo, hæ spiritus absumendo, utrovis modo sanitati vim faciunt, & archeo inimica sunt. Inprimis ad motum seri turbandum & *ζάσιν* inducendam h. l. quadrare possunt.

Vigorem etiam ejusdem tollunt Motus & Quies irregularia, unde fœminæ otiosam vitam ducentes, & sedentariam amplectentes, multis modis sibi accersunt incommoda, quæ ad uteri quoque pertingunt tandem œconomiam, eamque impediunt, quæ causa est oppressi caloris, & torpidi seri & sanguinis. Quamobrem urbanæ albo uteri rheumati magis obnoxiæ & expositæ sunt, quàm agrestes, teste *Foresto l. 28. obs. 20.* & sanitate constantiori fruuntur, magisque fœcundæ existunt matres, quàm quæ mollissimo cultu, otioque indulgentes domi desident, labore & motu firmante, ignavia contrà hebetante corpora.

Excernendorum consuetudo & retinendorum si minus legitimo habeat modo, necesse est, corpus lædi, & sanitatem labefactari. Gaudet pluribus emunctoriis pro secernendis superfluitatibus & excrementis natura, potissimùm vero serum per cutis poros insensibili transspiratione minus evaporans, nec per urinam evacuatum excrementitium, nec per alia loca particularia depletum, non per alvum, & menses ritè factâ evacuatione, restagnat hinc, & aliorsum viam quærere cogitur, ad uterũ illuvie provectâ. Unde *Rolfincius l. XI. consult. 4.* Si lunare tributum, ait, non æquè pendant ordine naturæ mulieres, vacillat sanitas earũ, nec abesse possunt morbi; si mucosæ destillationes per nares, & salivales per os cum euphoriâ excretæ aliàs, suppressæ sint, translatam huc materiam, fores pandunt huic affectui; & *dissertat. Anatom. l. 6. c. 57.* novisse se inquit mulieres emunctæ naris, quibus perpetuò humoris albi ex utero stiria manaret, eò quod arteriæ ad nares pertingentes, sanguinis & seri impuritates eò delegatas, foràs non ablegarent; secedunt ergò per muliebria sordes, quæ alibi viâ exclusæ fuerant, metastasi ad uterinas glandulas factâ.

VENUS nimium celebrata in causæ vicem etiam cedit, unde promovetur sæpè hic fluxus, dum laxando nimis vias, & calorem cum spiritibus agitando, ad fluxum invitat humores, spiritus etiam dissipando partibus his debilitatem inducit, unde tonum glandosarum partium in tenerioribus debilitari, laxari poros, & vasa lymphatica ipsa lædi, vero consentaneum est.

ANIMI AFFECTUS non carent suâ culpâ in fœminis, etiam quoad hoc symptoma. Ex illis huc faciunt tristitia, mœror, solicitudo, terror, timor, & alia pathemata, spirituum impedimenta insignia, & sanguinis & seri circulum turbantia, quæ in fœminino genere ob *ἀῤῥωστίαν διανοίας* frequentiora fiunt, non tam, quòd acidi patratores sint, nec, quod frigidos relinquant effectus, quam quod morbificas suscitando ideas, aberrationes varias in corpore causentur.

E causis PRÆTERNATURALIBUS attendi meretur malum hypochondriacum, & inde orta melancholia, scorbutus, cui jungi fluorem album testatur *Highmor. de affect. hypochondr. Exercit.* 2. *p.m.* 109. obstructiones viscerum infimi ventris, lienis, hepatis, mesenterii, cachexia, sterilitas antegressa, corporis totius cacochymia, vel uteri dyscrasia, & frigida humida intemperies, hinc fœminis provectioris ætatis ex hâc causâ provenit: In maritatis, partus laboriosi, unde ortum fluorem album, dolorificum valdè nec uniformem, observavit *Blasius observ. medic. rar. part.* 5. *observ.* 3. *p.* 65. Contrahitur enim sæpè imbecillitas uteri à partu, à contusione, aut ab aliâ externarum causarum vi. Molam sæpè uterum debilitare, ut profluvium album sequatur immedicabile, scribit *Rolfinc. epitom. affect. corp. partic. l.* 3. *c.* 25. *p.* 368. Paria facit abortus frequens, secundinarum improvida & violenta post partum avulsio, mala gravidarum tractatio, lochiorum fluxus imminutus, & depravatus, lumbarium partium refrigeratio, testium hydrops, atque dispositiones aliæ morbosæ in aliis se exerentes. Quin & erosio & exulceratio ipsa sæpè concurrit in glandulis uterinis, à tensione, vel salino acri principio, aliisque lædendi modis orta. Vid. *Blas. l. c.*

Trahenda quoq; in hunc censum, ex medicamentosarum rerum ordine, quandoq; purgantia fortiora, & *δραστικά*, liquantia serum,

referente *Platero Tom.3. l. 2. c. 7.* ab illis assumptis, supervenisse hunc fluxum, quæ nunquã eundem ante passæ fuerint; multas quoque, dum thermis aliquamdiu insedissent, hoc vitium contraxisse, notavit *idem.* Sicut autem in priori stimulus fortior & irritatio medicamenti cathartici, ad uteri confinia pergendo, solicitavit archeum ad expellendum; ita in posteriori, ab illarum continuato usu, vel potius abusu, adauctâ humiditate corporis, & fluxilitate humorum promotâ, ob *ἀτονίαν* potissimum id evenit. Atque ex hôc prolixo causarum catalogo tandem emergit generalis assertio: Quicquid lympham vitiosam in corpore gignit, & ad glandulas uteri promovet, fluorem album producere valet.

CAPUT VI.

Signa, & phænomena occurrentia investigat.

Etsi spontè patet ex relatione ægrarum malum hoc, nec signis opus est ad eruendum; attamen, ut felicius ab aliis congeneribus discerni possit affectibus, formales ejusdem proprietates, & signa determinantia, specifica, sive pathognomonica dicta, examinanda. Inter quæ occurrunt ESSENTIALITER INHÆRENTIA à fluxu, ejusque modo petita, nempe materiæ utplurimum albæ serosæ per loca muliebria effluxus, sive mavis lymphæ p. n. ichorescentis, magis vel minus fluxilis, à sanguine substantiâ & colore alienæ, idque plerumque sine dolore, inordinatè, ante, cum, post, & absque mensibus, cum madore muliebrium locorum, & molestiâ conjunctâ. Vid. *Sylv.* & *Plat. c. l.*

POSTESSENTIALIA, accidentia sive symptomata dicta alia ex necessitate consequentia, varia sunt, pro subjectorum, & causarum morbificarum ratione. Inter ACTIONES LÆSAS in *Facultate* quidem *Vitali*, nonnunquam pro fluxûs duratione, & molestiâ, virium lapsus, respiratio scandentibus difficilior, pulsus debilis, & secundum *Galen. l. de præsag. ex puls. c. 4.* interdum vermicularis adest; In *Naturali* nutritio sensim atq; sensim labascens, macies, ventriculi appetentia dejecta, & cruditas. Nonnullis procidentia uteri contigit, ab humiditate hâc p. n. laxatis vinculis, interdum uteri exulceratio accidit, & alia; In

ani-

animali lassitudo, dolor lumborum, dorsi, ut & partium, quæ circa pubem sunt. In QUALITATIBUS MUTATIS, intumescentia oculorum, pedum & manuum tumor, & gravitas. Facies in prodigo hoc fluxu fœdo pallore deformatur, & decore vitali suo orbatur, fœtor in consummatis spirat, ut non possit ferri; quale exemplum habet *Heurn. comment. in l. 5. aphor. 56.*

De his signis *Hippocrates l. 1. de nat. mul. c. 15. t. 2. 3.* & *2. de morb. mul.* Cum fluxus albus, *inquit*, obortus fuerit, urina qualis asini apparet, & dolor imum ventrem habet, & lumbos, & lateris mollitudinem, & tumores fiunt crurum & manuum, & cava oculorum elevantur, & oculi tumidi sunt, & color arquatus, & albus fit, & cum iter facit, anhelat. &c. Testantur autem hæcce signa, cachexiæ communia, loqui *Hippocratem* de affectu hoc confirmato magis, & habitum nanciscente, à totius cacochymiâ ortum suum habente, & cachexiam præsupponente, vel post se trahente, qui tot satellitibus infestis omninò stipari potest; ast si in principio fuerit fluxus, & mitior, sæpè uni cedit, vel alteri medicamento, & præcaventur omnia hæcce, ne jungantur mala.

Considerantibus igitur strictiori sub conceptu hoc symptoma, ob peculiaria phænomena, explicationem merentia, non quatenus sub cachexiæ generali titulo militat, & ab eâ vel fovetur, vel in eam neglectu transit, concipere non incommodè licet gradus ejusdem, quatenus à constitutione totius bonâ vel malâ ingravescit, vel mitescit hic ipse; vel enim tota quasi vitiosa est lympha in corpore, quod universale importat vitium, vel loco solùm peccat, & motu, h. l. in utero vitium capiens, quod particulare magis est, de quo hactenus dictum.

Illustrat hanc diagnosin & CAUSARUM notio, tùm antecedentium, tùm foventium, quæ, quò concurrunt magis ad producendum effectum morbosum, eò præsentius lædit, & obstinatius, quod quidem ex dictis, ad individuum facilè applicandis patere potest satis.

Confirmat idem SIMILITUDO, seu ratione ægræ hujus, vel illius, seu respectu aliarum instituta. Omnes nempe conveniunt in ἐκκρίσει hâc, licet modificent eandem alia.

CAPUT VII.

Differentias enumerat.

VAriat hic fluxus tùm ratione ſui, tùm aliorum. Refert enim ideam ejus, à quo fluxit. Unde DIFFERENTIAS agnoſcit varias, atque multiplices. In GENERE ratione *quantitatis*, alius largus & copioſus eſt, alius modicus; menſura tamen illa non æſtimanda eſt ex copiâ, quod ſimul & ſemel ἀϑρόως profundatur humor, ſed ex continuitate. Quæ enim ſucceſſivè fluunt, continuato curſu, licet paulatino in ſe, quantitatem nihilominus inſignem ſortiuntur. Ratione *temporis* alius continuus eſt, & aſſiduus, alius interpolatus, & interruptus, alius longo tempore durat, alius brevi ceſſat. Ratione *ordinis*, aut ſervat menſtruum tempus, & per intervalla redit certa, tanquam ſocius, quod rarius, aut inordinatè affligit. Ratione *qualitatis*, & quoad colorem ſpectatus, modò albicans eſt, & pituitoſus, ſero, lacti, aut cremori ptiſanæ ſimilis, ut *Aetius tetr. 4. ſerm. 4. c. 65.* & *Jac. Sylv. comment. de menſib. mulier. tomo gynæc. comprehenſ. p. 157. Rod. à Caſtro l. de morb. mul. c. 14. Ludov. Mercatus l. 1. de affect. mul. 15.* habent, vel hordei, ut *Paræus l. de gener. hom. cap. 58.* modò citrinus, aut pallidus, modò lividus, ſanioſus, ſubviridis. Quin & mille aliæ ſunt ſecundum rationem majoris & minoris iſtorum ſpecies, teſte *Aret. de ſign. & cauſ. diut. morb. l. 2. c. 11. Odore* aliàs teter eſt, & graveolens, aliàs nullo odore moleſtus; modò acris, interdum & veſicans, corrodens, adurens, ſalſus, ichoroſus, ut quaſcunque partes attigerit, erodat, aut leviter ſaltim exulceret, ob particulas bilioſas, ſalinas exuperantes, quale exemplum recenſet *Graf. de organ. mul. c. 9. p. 137. ſeqq.* Aliquandò mitis, inodorus, benignus, paucus, nullâ vi erodendi præditus, cujusmodi eſt pituitoſus.

In *conſiſtentiâ* alius tenuis, aquoſus eſt, à ſeroſorum humorum ſuperfluitate, alius ſpiſſior, vel inſtar albuminis ovi conquaſſati, teſte *Platero l. c.* aut albi muci, aliquando etiam viſcoſus ac lentus.

Ratione SUBJECTI patientis, alius eſt infantum, alius puellarum, adultiorum; alius gravidarum, viduarum; alius vetularum.

Ratio-

Ratione CAUSÆ, vel in utero latitat vitium, & viis, vasisque ejus propriis, vel in lymphâ, & succo glandularum, si hoc, fluor est parcior, & signa demonstrant affectam partem: vel extrà uterum si hæret culpa, à malè affectorum viscerum δυσκρασία peti potest, fluxus etiam copiosior est, unde inquirere necessum est, in corporis reliquam constitutionem, & scrutari viscerum ἀταξίας, quæ interpretis sæpè instar loqvuntur, ortum & progressum fluoris hujus prodentes. Ratione *modi afficiendi*, alias gravius, alias levius afficit, alius solitarius, alius cum affectibus aliis complicatus affligit, mitior, & crudelior, dolorificus, & sine dolore, &c.

Quomodo verò ab affinibus aliis, cum quibus sæpè confunditur, fluxibus discernatur, ex signis distinctivis patet. Hinc à mensibus decoloribus aliud dicit vitium, nec nisi impropriè mensium alborum nomine venit. Menses enim decolores ad menses adhuc pertinent, & sanguinem præcisè dictum, quamvis depravatum, & sub verecundo suo habitu & colore vitiosa recrementa p.n. condentem: Fluor albus verò & substantiâ, & colore diversus est, deinde etiam exeundi tempore & modo; servant enim suum adhuc periodum etiam non rarò vitiosi menses, licet non adeò exactè, fluor verò muliebris promiscuè sine ordine visitur, & cum inordinatis mensibus quandoque jungitur. Vid. *River. observ. Centur. 2. obs. 55.*

A gonorrhæâ muliebri verâ, sive materiâ seminali, vel ea propter discriminari debet, quod hæc in infantibus & impuberibus puellis, quibus ætas & natura tale negat, non habeat locum, quæ tamen fluorem album patiuntur; tùm etiam, quod majori excernatur quantitate humor in fluore albo, quàm de liquore seminali præsumere liceat; præsertim stante hypothesi recentiorum de ovario, unde gonorrhæa petenda, si vera esse debet. Fluor albus verò ex glandulis potissimùm, & lacunis uterinis, vasisque lymphaticis, in specie à glandoso prostatarum corpore provenit, quod gonorrhæam vocat *Grafius de mul. org. c. 6.* quamvis propriè talis vix dici possit. Uti & à pollutione nocturnâ eô distinguitur, quod sine imaginatione rei venereæ, & citrà somnum contingat. Nec de seminalis materiæ effusione credere nos sinit diuturna sæpè fluxus albi duratio, citrà interitum ægrarum, veluti *Forestus* fœminam cachecticam, per

undecim annos hôc detentam, observavit *lib. 28. de mulier. morb. obs. 19.*

A virulentâ verò, & ex impuro coitu contractâ gonorrhœa, dignoscitur fluor albus, quod miasma venereum, tàm prostatas glandulosas, quàm vaginam uteri, & sinum pudoris exulceret, adeoque sanies adsit, cum insigni dolore & molestiâ. Quod si, *ait Paræus l. de hom. gener. c. 60. tom. gynæc. cit.* mulieres sint, quæ, cum gonorrhœâ virulentâ laborant, honesto nomine culpam prætexentes, fluore muliebri, seu uterino, laborare se mentiantur, quod in utroque affectu ingens profundatur eluvies, sanè, in eô, discrimine & judicio medicorum opus est.

Purulenta denique excretio præsupponit abscessum, sive ulcus uteri, quale in uteri cavo, in fœminâ infœcundâ, deprehendit *Harveus Exercit. de gener. an. c. de partu p. m. 532.* saniosum quid & purulentum aliquando ejiciente, mensibus interim stato tempore ritè fluentibus, quod aliqui fluorem album, alii ulcus sinuosum suspicati sunt, quod posterius αὐτοψία detexit, notabili quantitate puris, ope speculi matricis, circà orificium internum matricis inventâ; quò spectant observationes rariores, de ulcere musculorum uteri vaginæ vicinorum, & utero purulento, apud *Blas. l. c. obs. 4. & 5.* In fluore albo verò, seri vitio eò acrimoniæ & malignitatis provecto, ut exulcerare, & exedere possit papillosas & glandosas partes, concedi quidem potest & debet aliqua exulceratio, sed superficialis saltim, & longè alia; adde, quod congressum vix ferant & admittant taliter affectæ, quod tamen fluore albo affectas non impedit, teste *River. Prax. l. 15. c. 4.* Hinc attendere par est differentias has, licet graduales sæpè, & accidentales, ne confusionem pariant.

CAPUT VIII.

Prognosin subjicit.

De Eventu morbi dicturis spectanda sunt, loco fundamenti prognoseos, recessus à statu naturali, & proportio inter læsam naturam, & lædentem morbum. Cumque excretio sit, ipsa εὐφορία, vel læsio, aliaque hujus commatis eandem modificantia; hinc ad πρόλεξιν instituendam, Salutis & Mortis, sic pronuntiare licebit,

de

de hôc in genere: Fluor albus moderatus in se & per se, non infert periculum mortis, quin imò parum habet in recessu, cùm morbosum in ἀμετρίᾳ consistat, & in sanis alioquin fœminis, aut virginibus, multis mensibus, vel etiam annis, innoxiè procedat, juxtà *Plater. l. c.* Si verò acquirat vitium, à gravioribus fotus causis, & accidentibus stipatus pejoribus, aut copiosior, uteri morbos & symptomata dabit, qualia à fluxu fortè quinto, apud *Hippocratem*, albo prodeunt, *l. 2. de morb. mul. c. 11. t. 1. & seqq.*

Deinde, cùm sibi relictus facultatem naturalem potissimùm impetat, vitalem & animalem verò salvam ferè sinat & illæsam ex parte, non adeò proximè vitæ insidias struit, quin, testante *Aristotele l. 3. de gener. anim. c. 4.* sæpè in bonitate naturæ, evacuantis per muliebria loca totius corporis excrementitios humores, numerandus, præsertim si modicè fiat. Servat enim corpora integra secessus excrementorum, utpote, quæ causæ corporibus sunt, ut ægrotent. Cùm igitur uterus, dum procreationi non studet, omnis fœditatis muliebris, corporis non puri, receptaculum sit, ut ait *Heurn. comment. in l. 5. aphor. 28.* si eliminet noxium, juvare magis sanitatem, quam impedire, credibile est; sin secus, malum non negligi vult, & posthaberi, citrà insigne corporis detrimentum.

Si enim habituale sit, & confirmatum malum, difficillimæ curationis evadit, & plurium post se trahit malorum agmen, unde & *Hippocratis* illud *5. aph. 56.* huc applicari potest, si muliebri profluvio convulsio, aut animi defectus superveniat, malum. Par ratio est, si alii sontici morbi præcedant, comitentur, vel sequantur, velut inappetentia, cachexia, hydrops, ἀτροφία, sterilitas, uteri prolapsus, & alii languores, vitæ quoque non rarò periculum minatur, sive ansam & occasionem hisce dederit hic fluor, sive ab iisdem originaliter provenerit. Variat hinc prognosticum etiam, ratione consequentium, vel comitantium symptomatum. Complicatus simplici gravior est, sibi relictus mitior. Sic &, si ab uteri particulari magis vitio, naturales ejus actiones læsas solùm sequatur, tanti non est, secus si à toto, seu partibus his, vel illis, ad vitam magis facientibus, sustentetur, & foveatur.

Quod si non adeò periculosum est hoc vitium, fœditate tamen & molestiâ suâ, gravissimum est muliebri sexui, ut qui munditiei &

cosme-

cosmeticæ deditissimus, tale quid in corpore suo experiri, cum tædio & displicentiâ cogitur, unde tantùm abest, ut facilè tolerent nonnullæ, ut potius hinc δυσαρέστησις oriatur, tristentur, doleant, pusillanimes & melancholicæ fiant, & à vigore mentis pristino desciscant; namque & sibi, & aliis, inprimis verò maritis diutino affectus tractu, & putridi quasi miasmatis contagio inde acquisito, exosæ fiunt, & ad conceptionem ob squalorem hunc inhabiles redduntur, quò magis familiare sibi reddiderit uterus vitium, & debilitate conceptâ, archeus quasi errabundus uteri operâ abutatur. Cùm autem in fœminis uterus sanitatem earundem multùm disponere possit, non minus ac labem patiens vitale serum, inde necessariò emergit sanitatis labes, & neglecto malo, vitæ dispendium, præcipuè cum per longas invaluit moras, adscitis in consortium potentioribus, in corporis internecionem, malis.

LONGITUDINIS & BREVITATIS signa ex anteà dictis constabunt, si nimirum contumax & rebellis affectus vires eundo acquisiverit, & primam eluserit curam, multiplicando suum seminium, & ulterius disseminando, archeo uteri magis debilitato, longior & gravior existit, vel consuetudine tandem in naturam versâ, productiori morâ, habitualis factus, ægrè coercibilis evadit, nec nisi longo medicamentorum usu cedens. Quin & sæpè in vetulis ad capulum usque affligit & commoritur, ut ait *Rod. à Castro c. l.* uti ex adverso, ubi mitiora cuncta & benigniora, citioris convalescentiæ spes affulget, unde *Galenus* Boethi uxorem intra tredecim dies restituit, ut ipse refert *l. de præcognit. ad Posthum. c. 8.* & *Riverius* mensis spatium curæ absolvendæ dedit, diuturno licet afflicta malo fuerit ægra, *Cent. 1. obs. 81.* Quid autem vetat, brevius finiri, aurigante naturâ, & medicamentis aptatis hunc fluxum?

A morâ verò & duratione dependet bona vel mala Prognosis, cujus intuitu ante omnia principium attendere fas est, & quamdiu duraverit, solicitè scrutari; rarius tamen ad ægras tales cùm advocetur medicus, &, nisi notabiliter læserit corpus, sufferre libentius incommoda, quàm detegere præ pudore soleant sua sæpè mala mulieres, ex intempestivo hoc pudore, malum in deterius ruere, sinunt, quod de mensium quoque fluxu suppresso, & aliis constat. Si tamen

occa-

occasio tulerit, resque per internuntias agatur, postulat omninò consilium & auxilium medici fluor iste, neque, præside naturâ, pudeat sordium quoque muliebrium scrutari genimen, & avertere causas, morbosam hanc eluviem inducentes, atque in sanitatis libertatem asserere afflictas.

Prout autem vel cacochymia totius, vel visceris alicujus principalioris ἀτονία, vel uteri denique nativa, aut adscititia dispositio, ad fluorem album fecerint, eatenus modificatur prognosis; item, quò major excrementorum proventus cum lymphâ, velut vehiculo, ad sentinam hanc confluxerit, & qualitates, sive accidentia excreti longius à naturali statu abfuerint, & alienioris indolis, eò difficilior & infelicior cura evadet.

Modus Eventus ad *salutem* ordinariè fit, materiæ peccantis, sive lymphæ in glandulis uterinis excrementitiæ factæ & vappescentis, partim evacuatione & aliorsum diversione, partim correctione & alteratione; ita in ordinem & viam redire solet natura, & fluxus cessare, lymphæ motu restituto, & coagulo ac στάσει remotis, roboratis glandulis & vasis, uteri œconomiâ restitutâ, non minus ac viscerum reliquorum crasi & tono confirmato.

Ad *mortem* terminatur, adscitis in consortium aliis malis, cachexiâ, hydrope, & similibus, seu μεταστάσει factâ, & excerni solito vitioso humore alibi collecto, & exudante, seu naturâ tandem dejectâ & succumbente, subsequo nonnunquam marasmo.

Caput IX.

Curationem in genere delineat.

Frustrà foret hæc θεωρίας omnis prolixior tractatio, nisi ad πράξεως collimaret scopum, imò, quod alicubi jocatur *Helmontius*, Medicus à dicendo potius, quàm faciendo nomen haberet suum, si artem medendi non exerceret. Ut igitur præmissis præmittendis, quæ pro curâ affectûs hujus spectant, subjungamus, superest hic porrò labor, ut erutis indicationibus, auxilia inveniendo, inventa præscribendo, præscripta debito modo administrando occupemur, secundum trigam indicationum institutâ methodo medendi fulti.

CURATORIA fluxum potissimùm attendit p. n. auferendo, vel sistendo, viarum & vasorum laxitatem respicit, glandularum tonum restituit, fermentum roborat, lympham depurat, & splendore suo animali coruscare facit, extravasatam evacuat, & ichorescentiam corrigit, tùm etiam consolidando fibras & villos uteri, adstringendo, humiditatem excessivam abarcet, & soluta repagula firmat; totius insuper massæ sanguineæ integritatem promovendo, & spirituum vigorem præstando, statum inducit sanitati debitum, & pristinam (quoad possibile,) naturæ bonitatem fœnerat.

PRÆSERVATORIA in ablatione causarum quarumcunque, fluori albo velificantium, intenta est, ut prohibitione materiæ novæ proventûs, & lymphæ uterinæ remoris ablatis, motus, ubicunque impeditus, liberior fiat, & præcaveatur affluxus, hinc viscerum fermenta & digestionū culinas attendendo, si quæ cacochymia timenda, avertatur, extricentur obstructiones, cruditates removeantur, & functionum defectus alii restaurentur, adeoque & stabula & foci excrementorum expurgentur, & materia morbifica eliminetur, prætereà conspurcantia lympham peregrina miasmata & defœdantia, discutiantur & disjiciantur, ut quoad potis est, natura eluctetur.

VITALEM denique attendentes, virium rationem habere jubemur, & præsentium & futurarum, ut excitatus à torpore archéus, fermentatione sanguinis naturali promotâ, pristino partes perfundat vigore, & continuando flammam irradiet luce suâ vitali totum integrale, quò animalis etiam splendeat focus, & respublica microcosmica florentior degat; adepta verò robur natura occasiones morborum felicius avertat, succos vitales magis elaboret, & vitæ balsamo delibutis organis promptior ad valetudinem via sit.

Hos ut assequamur scopos, præsidiorum materiâ opus est, quam largâ manu subministrat triplex gazophylacium, Chirurgicum, Pharmaceuticum, & Diæteticum, ex quibus auro & gemmis contrà pretiosa depromere integrum est naturæ ministro, pro servandâ salute, in morborum vindicationem cœlitus destinata. Nobis verò id unicè hâc vice curæ cordique erit, ut, selectu instituto, ex vastissimo hocce florilegio ea solum mutuemur auxilia, quæ priorum indicationum fines explere, scopos assequi, & ægrarum laborantium votis satisfacere possint.

CA-

CAPUT X.

Fontem Chirurgicum aperit.

Ex hôc, quid primùm ſuppetat, ſciſcitandum. Eſt autem de Venæ Sectione inter autores non levis controverſia, num locum habeat in fluore albo? Quamvis verò hujus præſidii generoſi & heroici uſus multiplex & varius ſit in quàm plurimis affectibus mulierum, hoc tamen loco minus convenire videtur, tanquàm minus indicati à fluore albo, in ſe & ſolitariè ſpectato. Cùm enim ſanguinis partes oleoſæ & ſulphureæ balſamicæ pauciores in hôc ſtatu, vel ſubjugatæ ſaltem videantur, conſervandæ potius & excitandæ, quàm profundendæ veniunt. Deinde Venæſectio plethoræ magis, & univerſali ſanguinis & ſeri vitio debetur, quàm particulari ſeri excurrentis motui; qui ſæpè levius importat malum, quàm ut auxilium hoc poſtulet. Adde & hoc contraindicans, quòd, emiſſo ſanguine, intimius recipi in maſſam ſanguineam ſeroſa uteri inquinamenta, & penitius inde affici eandem metus ſit; quare conſultò abſtinendum eſſe ducimus.

Poteſt tamen in plethoricis & bilioſioribus mitti ſanguis, ſi redundans in univerſo corpore, cauſæ ſine quâ non rationem habeat hujus fluxûs, vel à ſuppreſſis & inordinatis vel imminutis quandoq; menſibus foveatur hoc malum; vel ſi aliud quid urgeat, & circumſtantiæ loci, temporis, ſubjecti, aliaque id ſuadeant, in brachio vel pede inſtitutâ moderatâ eductione. *Galenus* equidem, in curâ uxoris Boethi, non meminit hujus auxilii, & feliciter tamen abſolvit curam; quod tamen de omnibus non valet.

Prodeſſe queunt etiam vicariæ V. S. CUCURBITULÆ, tùm ſcarificatæ, tùm ſiccæ; illæ quidem in dorſo & brachiis, ſcapulisque inſtitutæ, ob glandularum & vaſorum lymphaticorum in intercutaneis partibus notabilem copiam, partim evacuantes, partim divertentes & revellentes lympham copioſam ad uterum euntem; hæ verò ob diſcuſſionem majorem, & transſpirationem, reſeratione pororum adjutâ, liberiorem, lymphæque motum à centro ad circumferentiam magis promovendum, adjuvante potiſſimùm calore, & diſſipante humidum.

His quandoque ſuccenturiari poſſunt VESICATORIA, pro eliminando & divertendo ſero nunquam ſatis laudandum remedium, cujus ope ſuſcitatus lymphæ motor citatius movere undas, & στάσιν alicubi factam in corpore disjicere promptius poteſt.

FONTICULOS quoque ſua manet hîc laus, præſertim ſi diutius duraverit affectus, & rebelle magis malum talia popoſcerit auxilia, in vetulis & aliis quoque adminiſtranda; cùm ad hos tanquàm ultimum aſylum & ſacram anchoram ſæpè confugiendum ſit. Hi verò inuri poſſunt tùm brachiis, tùm ſemoribus, quamvis *Primeroſius* cavere jubeat, ne majorem, in cruribus ſi fiant, affluxum ad uterum concilient; *Riverius* tamen in diuturnis convenire aſſerit, quòd per hæc emiſſaria inutilis materiæ portio evacuetur. Ob majorem diverſionem, in partibus ſupernis commodius excitantur. Quantum autem in lymphæ & ſeri vitiis præſtent, toto die comprobat experientia, quippe cùm evacuationem non ſolùm, ſed & derivationem & interceptionem præbeant inſignem, cum totius & partium affectarum alleviatione, ſenſim, & velut per ἐπίκρασιν excretâ non ſaltem per lymphatica vaſa & venas refluentis, ſed per arterias quoque adfluentis ſeri quadam portione, meritô ſuo in magnis habendi remediis, & non fruſtrà hîc commendandi.

SETACEUM quid præſtiterit in hôc affectu, edocet *Fabritius Hildanus Centur. 1. obſervat. 4.* qui diuturnum talismodi fluxum, & inde ortam ſterilitatem feliciter eo curavit.

LIGATURAS in partibus ſuperioribus ſuo uſu non carere autores exiſtimant, quæ ſi non juvent, ita moderandæ, ne noceant.

FRICTIONES denique memorandæ, quas tantoperè cum *Galeno* extollere fas eſt, quandoquidem in frigido humido & catarrhoſo ſtatu, cutis denſitate & pororum obſtipatione, proficuas obſervarunt Practici. Ratio in promptu eſt, cum conſtet, ab harum uſu per aperta magis coeca cutis ſpiracula halituoſa ſeri effluvia evaporari, & calorem internum, per ſuſcitabulum hoc agitatum, diſpellendis noxiis idoneum magis reddi, motum ſanguinis & ſeri alacriorem fieri, & ſulphuris expanſioni ſpatium amplius concedi; non eſt ergò quod recedamus à Veteribus, multum in eo auxilii quærentibus. Eligendus autem præ aliis modus hic, ut, quæ molliter tra-

ctari

ctari volunt fœminæ, mollioribus primùm, post asperioribus fricentur linteis, quæ nonnunquam, pro re natâ, suffimentis quoque, in specie succino, aliisque anticatarrhalibus gummatibus, resinisque, persumata, dissipationi & evaporationi, adde & roborationi & exsiccationi amplius inservire possunt, continuatâ per singulas dies, manè & vesperi ad fornacem calidam, vel lecto hâc enchiresi, quod *Galenus* quoque fecit *c. l.*

Quòd si serositatum cumulus major aggravet, & deviationes lymphæ graviora minentur incommoda, de salivatione quoq; ☿iali cogitandum, saltim incompletâ, per interna & externa, pilulis & aliis propinatis instituendâ, quâ mediante seri fluxilitas aliorsum duci, & coagulum disjici commodius possit; observatis tamen circà hanc curam cautelis, ne impuro, nec expurgato prius vitiosis humoribus debite corpori, talia applicando, irritando veluti crabrones, majus inferatur malum, vel humidum nimis absumendo, in siccitatem vel tabem præcipitentur ægræ. Moderari ergo talia in fœminis, & ad naturalem statum, ceu normam & regulam, deflectentem reducere naturam, omnium in cura optimum est.

Caput XI.

Pharmaceutica proponit.

A Chirurgiâ discedentes Pharmaciam ingredimur, unde plenariam sibi curam spondet affectus, cùm constans & fidum non possit à prædictis sperari auxilium, nisi hæc in subsidium jungantur. Possunt autem jure merito dispesci in universalia remedia & particularia, quorum illa universum magis attendendo corpus, hæc partem affectam potissimùm juvando, medici intentionibus satisfacere possunt, prout indicantur à suis indicantibus. Ne verò ἀμεθόδως procedamus, consvetis proponemus singula loculis.

Lenientia ut in omnibus ferè morbis, ita hîc quoque locum habere suum posse, arbitror, & tantò magis quidem, quod purgantium δραστικῶν vim sustinere non æque valent imbecilliores mulierculæ, hæcque purgantium velut succedanea sint. Cumque primas blandè expediant vias, & abstergant collectas sordes, aditum

cœteris medicamentis procurant faciliorem, etiamsi minorum gentium dii sint. Commendamus autem præcipuè *aloetica*, lenientium quasi basin constituentia, balsamum sanguinis & seri eximiè tuentia quoque, & corruptelas auferentia, qualia sunt *Pilulæ aloeticæ Francofurt. Glassianæ, Tartareæ per fermentationem paratæ D. Præsidis*, & aliæ, quæ exaltari & acui possunt pro lubitu, vel fortioribus purgantibus & resinis earundem, vel ♂tialibus, croco, ⊖lo ♁tis &c.

℞. *MP. aloeticar.* ʒß. *resin. gialap.* ℈ß. ⊖*li* ♂. gr. v.
ol. cort. aurant. gtt. ij. M. F. c. *elix. Prop.* l. a. Pil. minores
n. LX. S. Laxir-Pillen.

℞. *rad. mechoacann. alb. nigr.* an. gr. viij. *crem.* ♀*ri* ℈ß.
fec. bryon. gr. iij. *elæosacch. cinnam.* gr. j.
M. F. pulv. S. Laxir-Pulver.

℞. *rob ebuli* ℥j. *rhab. Alex.* ℈j. *extract. bryon.* gr. vj. c. s. q. *sacch.*
F. l. a bolus. S. Laxir-Bissen.

Species item laxantes pro infusione & nodulis, vel decoctione, cum uterinis commixtæ, prolixam enarrationem non efflagitant, quales passim obviæ apud Practicos. *Pruna* quoque & *passulæ laxativæ* cum *fol. senn. rhabarb.* & aliis, decoctæ & fermentatæ, pro delicatioribus locum habent. Clysteres item lenientes & emollientes, additis abstergentibus ac uterinis compositi, usum spondent non exiguum, ob uteri viciniam, & derivatos è corpore ad intestinorum glandulas humores, decenter administrati.

Præparantia & digerentia, humorum vitiosis qualitatibus debita, varia esse possunt, pro peccantium conditionibus, opponendo singulis contraria, potissimum ex ♀*eorum*, ♂*tialium*, *aperientium*, *attenuantium* & *incidentium* classe, quæ pituitam præparando, & ad exitum disponendo, coagulum avertere, obstructionesque viscerum sub hypochondriis reserare possunt. Sicubi verò biliosi peccaverint humores, vel acidi, austeri, acerbi, fixi, pontici, absorbentia, ⚹tantia, saturantia, & invertentia jungenda aliis, & in auxilium ducenda, omnia, pro judicio medici prudentis, ad speciales casus dirigenda. Talia sunt R̄a *♁cyd. pomat. arcan.* ♀. *♁tiale*, R̄a ♂*is volat. tamarindinata*, ⊖ *digestivum Sylvii cum* ⊖*ibus uterinis*, *ess.* ♂*tis absinth. oxymel. s. & squillitic. Croc.* ♁*tis* ♀*atus*, ⊖*latus*, *pulveres cachectici*, *stoma-*

stomachales, v.g. *Quercetani*, (quô fœminam albo fluxu laborantem restituisse se scribit *Osw. Grembs. arb. integr. & ruinos. libr. II. Cap.* 1. §. *12. de defect. organ. hum. gen.*) & aliorum.

Purgantia optimè huic affectui convenire omnium Practicorum suffragio constat, & *Galeni* quoque, qui iis feliciter usus in curâ uxoris Boethi, ab iisdem primò auspicatus eandem, dum absumendo causam & materiam morbificam apprimè curationi velificantur. Hæc ipsa divertendo quoque fluxum ad alvum, per ordinariam viam ejiciunt, meritoque universalia audiunt remedia, pro humoris peccantis ratione ex illorum apparatu seligenda. Potissimum verò phlegmagoga, & seriduca seroso debentur fluxui, mitiora tamen, & violentiæ gravioris expertia, non tàm semel & unâ vice, si major excernendorum copia adfuerit, sed iterum atque iterum, & per epicrasin repetenda, interdum & cholagoga & panchymagoga, singula ita ordinanda & moderanda, ne commotione majori inductâ, (veluti in gonorrhœâ virorum non rarò, citrà noxam tamen, fieri assolet,) augeatur fluxus magis, & versus uterum præcipitetur, quod tamen vix timendum, si natura rectè agens, purgatione εὐφόρως institutâ, excrementitium per vias intestinales eduxerit, atque hoc modo glandulæ quoque uterinæ ab oneroso humido liberatæ fuerint. Conveniunt præ cœteris (α) *Jalapina*, in pulvere, bolo, essent. pilul. potion. & aliis formulis facilè distribuenda, quemadmodum *observat.* 8. *Riverio à Sim. Jacobo* communicatam legenti innotescit, solâ octiduanâ resinæ gialapæ usurpatione, (non temere tamen imitanda,) affectum septimestrem mulieris quadragenariæ feliciter sublatum. Et *Riverius* ipse *Centur.* 3. *obs.* 81. testatur, se, frustrà tentatis aliis remediis, in ptisana laxante certum & fidum invenisse auxilium, ejusq; ope, per mensem integrum adhibitæ solum, diuturno fluore albo laborantem mulierem prorsus ab eodem liberâsse, quod medicamentum rursus in praxi commendat *libr. XV. c. IV. p. m.* 448. Similem observationem vide apud *Gregor. Horst. libr. V. de morb. mulier obs. XVIII.* (β) *Rhabarbarina*, quali infuso per epicrasin facto, & ℞ *â corall.* in liquore aliquo convenienti per aliquot dies exhibitâ, feliciter fuit restituta puella VI. annorum, corpore cachectico, fluorem

album

album passa apud *Thom. Bartholin. Act. Haffniens. ann. 1671.* & *1672. obs. 83.* (γ) *Sennata, Tamarindinata,* ut & quæ ex *Agarico* & *Carthamo* consiunt leniora purgantia, variis sub formis data, citò & tutò juvantia, atque hæc ipsa cum successu exhibuisse *Exc. D. Præs.* Patronum meum & Præceptorem ad urnam colendum, sæpius auribus accipere licuit. His junguntur commodè aromatica, roborantia, uterina, ceu dirigentia, ex quibus variæ formulæ concinnari possunt.

℞. *pulv. laxat. veget.* ℈j. *cryst all.* ♀ ℈ß. *fecul. bryon.* gr. v.
ol. destil. succin. gtt. j. M. F. pulv. D. in chart. S. Purgir-Pulver.

℞. *resin. gialap.* ℈ß. ⊖is ♀i gr. iij. ⌒ *cinamom.* ℈ij.
sirupi ros. solut. q. s. *ad grat.* M. S. Purgir-Saft auf 1. mahl.

℞. *extract. agaric. gialap.* ã. gr. xij. ☿ *dulc.* gr. iv. *ol. anis.* gtt. iij.
M. c. *Elix. PP.* F. l. a. Pilulæ.

℞. *MP.* ♀ *ear. Schröd.* ℈ß. *resin. scamm. gialap.* ã. gr. v. *extr. elat.* gr. iij.
ol. macis gtt. ij. M. c. *essent. succin.* F. l. a Pil.

℞. *extract. panchymagog. Croll.* gr. xv. *magister. g. de goa* gr. iv.
croc. ♂ *sulphur,* ♄ *diaphor.* ã. gr. ij. *ol. rut.* gtt. ij.
M. c. *essent.* ♂*tis cydon.* F. l. a. Pil.

℞. *rob ebuli* ʒß. *extract. rhab.* gr. xij. *resin. gialap.* gr. viij.
sacch. rosat. & *sirup. matricar.* q. s. M. F. bolus.

℞. *conserv. ros.* ʒj. *spec. diagal. Myns.* ʒß. *sirup. artemis.* q. s. M. F. bolus.

℞. *rad. artemis. bryon. fœnicul.* ã. ʒij.
aristol. rot. ʒj. *mechoac. alb.* ʒß.
summit. artemis. cent. min. absinth. ã. mß.
flor. cheiri, calend. ã. p. ij. *fol. senn. s. s.* ʒvj. *myrobal. omn.* ã. ʒj.
rhab. alex. ʒiß. *epithym.* p. ij. *cass. lign.* ℈iv.
costi veri, cortic. tamarisc. ã. ℈ij. Conc. contus. D. in sind. rub.
S. spec. zum Laxier Wein.

℞. *extract. cartham.* ℈j. *resin. scammon. gialap.* ã. gr. iv.
⊕*l.* ♂ gr. ij. *ol. cinnam.* gtt. j. c. *elix. uterin.* F. l. a. Pil.

Tacemus *elix. propr. purgans, pulv. diasennæ, extractum diacarthami,* & id genus alia. Cavendum verò, ne in gravidis, & quibus mensium fluxus instat, præposterè his utamur, ne in illis abortum, in his immodicum sanguinis fluxum concitemus.

VOMI-

VOMITORIA quoque ad expellendam materiam morbificam actu & positivè præsentem faciunt, hincque cum *Riverio c. l.* in hoc affectu maximè commendantur; præsertim verò in εὐεμέτοις, & quibus saburra humorum circà ventriculum, & in eo collectorum hîc labores & negotium facessit, unde malum hoc nonnunquam fovetur, & digestionis vitiosæ prima hæret radix ac origo, ad cœteras quoque diffundenda. Expurgare ergò præcordia, & everrere primarum viarum sordes, tantò magis opus est in fœminis, quò major his relictis noxa manet cœteras partes, & consequenter uterum, detersis verò & eliminatis fermentum pristino suo restituitur vigori, spirituumque remoris hîc loci stabulantibus ablatis, potentior & insignior operandi emergit efficacia, utroque ad ventriculi munia ritè exequenda maximè necessario subsidio. Et quamvis non æque è longinquo noxia educere valeant emetica, sufficit tamen his ipsis, tanquam herculeo remedio, præmissis, reliquam curæ partem felicius perfici, & intentiones medici cœteras ex voto magis expediri posse.

℞. *elect. de asar. Fernel.* ℈ij. ⊖*is* ⊕*li* ℈j. *oxymell. squill.* & *sacch.* q. s.
F. l. a. bolus S. Brechbissen.

℞. ♀ *emetic.* gr. iij. ⊖ *artemis.* gr. vj. *elæosacch. cinnam.* gr. j.
M. F. pulv. S. Magen-Pulver.

℞. ☿ij *vit. corr.* gr. ij. *sirup. artemis.* ℈ij. M. S. Brech-Safft.

In puellis pituitosis, & ex cruditatibus iisdem laborantibus, multum hæc dicta adferre auxilii certum est.

DIAPHORETICA, post sensibiliter evacuantia, ad discutiendas humoris serosi reliquias, & divertendum ad ambitum corporis, revellendumque ab utero, locum quoque & usum jure merito tuentur suum; sive excitato ab illis sudore, sive minus, poros tantummodo apertos servando, quæ ipsa cum catarrhorum omnium & seri vitiorum sint certissima præsidia, ichorescentiam & decubitum seri circà uterinas glandulas felici successu tollunt, & circulationem promovendo, vappescentiam corrigunt, defæcant, & in ordinem redigunt lympham, cujus motum regularem sanitatis non ultimam constituere partem in confesso est. Possunt autem volatilia fixis & mediis interpolari, ubivis modo observato.

℞. R̄æ bezoard. ʒj. *essent. succin.* ʒß. *anod* ℈ß.
M. S. Schweiß-Tinctur.

℞. *CC. philos.* gr. xv. *bez. ♃ialis* ℈ß. *zz. nativ.* gr. v. ⊖. *succ. vol.* gr. iv.
M. F. pulv. S. Schweiß-Pulver.

℞. ♒*us theriacal.* ʒj. *lign. guajac. rectif.* ʒß. ⊖*is* ✱*ci vinos.* ℈j.
M. S. Schweiß-Mixtur.

Huc pertinent ⊖ia volatilia, oleosa, aromatisata, *Liquor CC. vel eboris succinat.* ⊖ *vol. CC. eboris*, ♒ ⊖*is* ♀*i*, ♒ ⊖*is* ✱*ci succinat. castorin.* cum oleis uterinis & cephalicis amico connubio maritatus, ♒, *ol.* & *ess. lign. sassafr. lign. sanct. lentisc. flores,* & *bals.* ♆*is* accisa dosi dandi, ⊖*ia fixa matricar. meliss.* &c. *bezoardica mineralia*, inprimis ♃*iale* & ♂*iale*, ☿ ♂*iale cachect. flor.* ⊖*is* ✱*ci cum corallis vel hæmatit.* ♎*ati*, R̄*a corall. c.* ♒*u lign. CC.* &*c.* parata. Et ne anticipemus specifica alterantia, cum his ferè convenientia, alcalina plurima huc spectant post dicenda. Sic *decocta lignorum* quoque commendantur, *sancti, sassafr.* cum *radicibus* appropriatis, *china, sarsaparill.* & herbis abstergentibus, saponaria & cymbalaria, vid. *Septal. animadvers. libr. VII.* §. 215. nec non cum anticatarrhalibus parata, elicientia sudorem caloris ambientis beneficio; siquidem inveteratum malum fortiora hæc remedia exsiccantia postulaverit, singula cum regimine administranda, de quibus *Horstius cit. l.*

Pari modo inter Sudorifera censeri merentur BALNEA SICCA seu Laconica, stuphæ dictæ, quas *Riverius* & alii commendant, provocatis, in domunculis ejusmodi seu carceribus, sudoribus, per vapores ex herbarum abstergentium, & uterinarum, ut *nepetæ, valerian. calaminth. hyssop. helen. chamom. aneth. serpill. artemis. rosmarin. meliss.* ☿*ial. abrotan. rubiæ tinct. aristol. rot.* vel exsiccantium, ut *sarsaparill. lignorum*, & similium, cum aquâ & vino parato decocto, & ferri scoriis sive frustis vel silicibus & lateribus candentibus affuso, elevatos, unde propinatis prius medicamentis debitis serum fundentibus & spiritus ad id disponentibus, externo calore accedente, à superfluo & excrementitio humido liberabitur corpus, & glandulæ uterinæ abstergentur. Hunc in finem præter dicta prodest etiam in vulgus notissima medicina *rob ebuli vel sambuci juniperi, diascord.*

Fracast.

Fracast. essent. lign. cum *essent. succini, essent. lign. sassafr.* cum ▽ *serpilli spirituosâ* parata, *essent. theriacalis, myrrhata,* ℞ *a bez. Mich. Rolf. Wed. M. S. CC. ust.* ♁ *diaphor.* & alia pro intentione medici ordinanda.

Succenturiari his commodè possunt DIURETICA remedia laudatissima, aperientia, serum ad renum tubulos per vasa emulgentia promotum per urinarias vias ducentia, & archeum officii sui admonentia, serum item balsamico charactere imbuentia, & ichorescentiam ejusdem, si quæ alia, corrigentia. His adhibitis *Galenus* l. c. uxorem Boethi sanitati feliciter restituit, ad cujus imitationem & præceptum nobis quoque svadere eadem consultum est, præsertim verò, quod ratio experientiæ huic optimè respondeat, glandulis & vasis renalibus cum uterinis haud parum consentientibus. Quæ ratio est, quod *Swalbius* quoque in *disquisit. Therapeut. s. 5. p. m. 94.* uterum albo fœtentem fluore mirificè mundificari his asserit, id quod ipse *Exc. D. Præs.* ulterius confirmat in *Diatribe de diureticis c. 7.* quippe cùm tenuium sint partium, aperiendi generali virtute prædita, poros expedire glandularum idonea, & fundere serum ac liquare possint, vi ⊖inâ potissimùm mediante, & vel aquoso vel oleoso charactere saponariam hinc induentia naturam, unde renum & uteri viciniam extergere, & vasorum amurcam abstergere valent; atque in his commendandis, velut in aliis seri stagnantis, vel exorbitantis vitiis, plurimum soliciti sunt autores.

Sunt quidem nonnulli, quibus diuretica ob eam causam malè hîc audiunt, quòd menses simul moveant; verùm, si minus calida & volatilia, metus omnis abesse potest; solverunt hoc dubium jam dudum *Rod. à Castro c. l.* & *Exc. D. Præs. in diatrib. de Diureticis.* Ex quorum latifundiis ea solummodo huc arcessere libet, quæ seri tonum sartum tectum custodiunt, & utero quoque non infesta sunt; uti sunt infusa & decocta ex *rad. 5. aperientib. asari, fœnicul. rub. tinct. aristoloch. &c.* qualia passim occurrunt, & apud *Riverium c. l. Rolfinc. O. & Meth.* aliosque Practicos invenire licet. *Galenus* quoque simplex paravit decoctum ex *rad. asari* & *apii* in aquâ coctis. *Simon Pauli* commendat hunc in finem *decoctum dauci* cum *radice filipendulæ,* in *Quadrip. Botan.* quæ ipsa decocta & infusa cum aquosis parata menstruis, aromaticis & stomachicis intermi-

scendis ita corrigenda, ne laxiorem reddant ventriculum, & tono ejusdem adversa sint, quod etiam valet de jusculis diureticis.

Palmam sibi vendicant *terebinthinata*, *succinata*, & *juniperina*, ♎e & ⊖e suo balsamico celebranda maximè diuretica, quæ motum seri vitiosum & peregrinas ejus qualitates insigniter emendant, inprimis in partibus genitalibus sese exerentes, cavendo tamen utrorumque excessum, ne fluxum augeamus.

℞. *MP. de terebinth. cum rhab.* ʒj. *trochisc. alkekeng.* ʒß.
ol. succin. gtt. ij. cum R̄â ☿i F. l. a. Pil. pro v. dos.

℞. *terebinth. ad spissitud. coct. in* ▽ *gramin. & pulverisat.* ʒj.
⊖ *juniper.* gr. vj. *vol. succin. flor.* ✱ *ci corall.* ā. gr. iij.
sacch. perlat. ad p. o. M. F. pulvis.

℞. *mist. simpl.* ♂*lis* ʒiß. ♎ *succin.* ʒj. *extract. agrimon.* ℈ß.
M. S. Harntreibende Mistur.

℞. *rad.* 5. *aperient.* ā ʒij. *sarsaparill.* ʒiß. *bryon.* ʒj.
fol. meliss. rosmarin. puleg. artemis. ā mß.
flor. cheiri, ros. rubr. calend. galeopsid. acac. ā p. ij.
lign. sassafr. sandali citrin. ā ℥ß.
cortic. tamarisc. lign. sanct. ā ʒiij. *bacc. laur. juniper.* ā ℈ij.
costi veri, cass. lign. macis anthophyll. ā ʒß. *croci* ℈ß.
Concis. contus. infunde in vini mensur ij. stet per ♂♀.
Colaturæ Dentur ℥ij. vel iij. pro quotidiano usu.

Vel insuantur species serico, cum interpassatione pro nodulo. Tali vino medicato ex aperientibus & uterinis non unam fluore albo afflictam restituit *Bartholinus in Act. Haffniens. Volum. V. p. 123.*

De ♂tialibus supra laudatis ut nihil amplius dicamus, spectat huc ♎ ⊕li ♂ & ♀, ♎ *aperitivus Penoti*, R̄a *aperit. Mœbii*, *clyss.* ♂ij ♎*eus*, R̄a ☿ri, ♎*us terebinth.* in quo solutum *sacch.* ♄ni & *camphora*, ☿*us* ♂*tialis Zobelii*, ♎ *us lap.* ♋*, malvaticum juniperinum*, R̄æ ♂*tis variæ*, cum *arcan.* ☿i, ♂*tis* ⊙*aris*, *aperiens Zwölfferi*, &c. *Magisterium lap.* ♋ cum *ol. anisi*, quô ipso una c. *Elixir. uterino* curatam fœminam hujus loci *Exc. D. Præs. in not. ad Casus Timæi* refert, item antihypochondriaca quoque huc trahenda.

Acidulas suus commendat usus, præservandi fine, tùm naturales, Egranas, Svvalbacenses, &c. tùm artificiales ex ♂te, ♎e, ⊕lo & ○ paratas, quale est vinum ♂iale *Myns.* acidulas potestate æquan

æquans, nisi ventriculus contraindicet, & si reliqua consenserint. Præsertim verò ubi ab hypochondriacâ obstructione & glandulis pancreaticis oppilatis malum ortum habeat, vel sustentatus hic fluxus fuerit, adeoque in chronicum evasurus malum sit, hæ optime præstant diuresin ob ⊖ ⊕licum in phlegmate liquatum, cum regimine adhibendæ, & cum euphoriâ continuandæ. Atque in hisce dictis, ceu universalibus evacuantibus, causarum morbificarum remotio consistit, quod his ablatis tanquam materiam suggerentibus, fluxus omnino sistatur. Verùm enim verò specialem quoque sibi deposcit malum hoc curandi methodum, quâ indicationibus reliquis succurritur, præcavendo, ne materia vitiosa seu lympha vappescens ad uteri cavernulas colligi & ibi molesta esse possit, id quod fit, partes laxiores roborando, & villos fibrasque â fluore læsas adstringendo, glandularum tonum & seri systasin custodiendo, imò partes fluidas uteri concentrando, & roborando, sique viscera primæ aut secundæ culinæ culpam mereantur, vel causæ vicem tueantur, si alia symptomata sociata, vel aliæ partes coaffectæ, ut caput, ventriculus &c. particularia evacuantia & alterantia, præter dicta universalia, indicaverint, hisce quoque suis ex pharmaciæ loculis, debitis medelis succurrendum, cephalicorum, stomachicorum & uterinorum grato contubernio, quorum omnium recensionem hâc vice de industriâ mittimus, ne actum agamus, uti quæ unicuique seorsim conveniant visceri, materiæ medicæ promtuaria abunde edocent, cujus selectum præ cœteris evolvere *B. Ludovici in Pharmac. mod. sec. applic.* & *Exc. D. Præs. in Tract. de Med. facult.*

Ut autem ad SPECIFICA transgrediamur, fluori albo assignata, & â Practicis comprobata remedia, quorum jam jam quædam sub universalibus patuere, sunt ea in genere modicè & blandè adstringentia, viis & poris glandularum debita, ne excidat sereum humidum, magis tamen calida quam frigida primariò abstergentia, alcalina, terrea, ♀tantia & absorbentia, cum oleosis aromaticis volatilibus & fixis maritata; in specie verò balsamica, uterina roborantia, glandosas uteri partes cum lympha & vasis munientia, & â peregrino influxu vindicantia, verbo tonica, in omnibus ob-

servatâ cautelâ, ut ventriculi calidum vitale conservetur, nec, continuo medicamentorum potissimùm alcalinorum usu, fermento ejusque activitati noxa inferatur; intento quoque oculo ad mensium fluxum, ne illum turbemus, aut impediamus.

Si ductum Methodicorum & axioma generalissimum, laxum adstringendum esse, quod vult, sequeremur, ab adstringentibus potissimùm curæ exordium desumendum foret, quod tamen ne fiat, unanimes monent autores, & alienis periculis cautos nos esse oportet, quippe materiâ antecedente in corpore coercitâ, nec evacuatâ prius, gravium symptomatum emergentium, ulceris, imò & integræ mensium suppressionis secuturæ periculum subest, notante *Riverio c. l.* nec vitium perfectè tollitur hoc modo; sed illa quæ natura excernere satagit, retinentur, imò clauduntur sic rivuli apertô fonte, & hostis domi alitur, malumque fovetur & conservatur. Hinc scribit *Galen. de præcognit. ad Posthum. c. l.* uxori Boethi ex adstringentium usu ventrem adeò intumuisse, ut utero gerentis suspicionem subiret. Confer exempla sinistri eventûs quæ extant *Anno II. Ephemerid. Germ. obs. 26. & ann. VI. obs. 103.* Ut igitur hæc talia evitemus, nec Empiricorum more agamus, balsamicis potius & abstergentibus, cum adstringentibus sociatis, præmissis evacuantibus, felicius curam perfici existimamus, quibus tandem jungenda exsiccantia interna & externa, quorum ex uberrimâ farragine aliquot dabimus composita. Conveniunt autem omnia illa, quæ in aliis fluxibus, & in specie uterinis, mensibus immodicis, lochiis &c. aliisque seri & sanguinis nimiis fluxibus, in Practicorum libris hinc inde commendantur, de quibus vid. *Rolfinc. O. & Method. IX. sect. VI. cap. IX. Hartmann. in Praxi, River. Sennert. Horst. Platerus* &c.

℞. *rad. zedoar. filipend. caryophyll.* ā ℥ß.
fol. rosmarin. salv. puleg. sclareæ ā mj.
flor. cynosbat. cheiri, betonicæ ā pij.
sem. ammi ℈j. *anis.* ʒß. *cortic. tamarisc.* ʒij. *lign. aloes, sandal. flav.* ā ʒj.
nuc. mosch. ʒß. *croci* ℈j. M. Concis. & contus. grosso modo
F. l. a. Nodulus. S. Püschel in 2. Kannen Wein.

℞. *rad.*

℞. *rad. plantag. torment. bistort.* ā ʒiij.
galang. ℥ß. *bryon. nymph.* ā ʒij.
fol. meliss. menth. rubr. agrimon. ā mj.
flor. melilot. alb. galeopsid. bormin. matricar. ā p. j.
flor. balaust. p. ij. *cortic. aurant. citr.* ā ℈iß.
rasur. lign. lentiscin. sassafr. visci querni ā ʒiß.
bacc. laur. juniperi ā ℈ij. *myrti* ʒß. *cass. lign. costi veri* ā ℈iv.
sem. coriandr. ℈j. M. Conc. contus. S. Reinigende species.

Huc spectat infusum & decoctum rosmarini, (qui gratus est fœmineo sexui, & arcanum adversus fluorem album mulierum,) simplex vel compositum cum veronicâ & melissâ in vino, cujus decocto solo *Lindanus* se sæpius fluorem muliebrem curasse, ad tempus aliquod continuando, testatur, item *essentia* cum ♁u proprio facta, *spec. dianthos, oleum, conserva, extractum,* & alia inde parata, seri fracedinem laudabiliter corrigentia, uti de ejus viribus & efficacia admirabili legi potest *Sim. Pauli in Q. B. Cl. 2. p. 132.*

Concentratiora sunt, quæ subjungere placet, quorum inprimis basis *succinum* est, fluoris albi citum, tutum & jucundum remedium, cujus ope *Exc. D. Præs.* mulieres afflictas sæpissimè & felicissimè curavit, ut ne vestigium illius posthac senserint. Potest in essentia, pulvere vel aliis modis dispensari.

℞. *Ra bezoard.* ʒiß. *liquor. CC. succinat.* ʒß. *ess. anod.* ℈ß. M.
℞. *elix. uterin.* ʒij. *essent. travmatic.* ʒj. *anodyn.* ℈ß. M.
℞. *elix. propr. sine acido* ʒj. ♁ ⊖*is* ✳*ci succinat.* ℈iß.
ol. caryophyll. gtt. j. M.
℞. *essent. ad flux. alb. D. Mich.* ʒij. *Ra bezoard.* ʒß. *essent. succin.* ʒj.
M. S. vermischte Essentz. Dos. gtt. xxx.
℞. *Ra corall. cum* ♁*u coryli* ʒij. ♂ *adstring. Zwölff.* ʒj. M. D. in vitro.
℞. *essent. succin.* ▽*æ catechu* ā ʒiß.
M. S. anhaltend-und stärckende Tinctur.
℞. ⊖ *vol. oleos. rosmarin.* ℈ij. *ess. anodyn.* gtt. x. M. D. in Vitr.

Sic componi possunt mixturæ variæ, majoris vel minoris apparatus, ubi fortiori adstrictione opus est, uti sunt *Ra lapid. hæmatit.* ♀*is* ⊕*li, antiphthis. Gramanni, decoct. fol. quercus, cum coagulo leporis*, extollitur *à Mercuriali, decoct.* & *Ra flor. balaust*; ut & Ele-

ctuaria ex aperientibus & ventriculum roborantibus, quale adhibuit *Bartholinus Act. Hafniens. c. l.* & *River. Prax. l. XV. c. IV.*

Ex solidorum genere, pulveres varii tùm passim extant compositi, qualis est *Timæi libr. IV. Cas. med. p. m. 214. Heerii l. de acid. spadán. p. 106.* & aliorum, qui serum acriusculum temperant, tùm ex simplicibus appropriatis componi possunt; iique vel subtiliores chymici, vel grossiores Galenici. Horum exempla suppeditat *Riverius Prax.* laudato loco, pro aulicis mulieribus, & *Sim. Pauli Quadrip. Bot. cl. 3. p. 195. & 300.* ut & *Platerus l. c.*

Illorum materiam constituere possunt *succin. alb. ppt. unicorn. foss. CC. ebur. ust. & phil. ppt. magister. oss. sep. corall. perlar. mat. perl. ppt. bol. armen. crystall. ppt. osteocoll; &c.* cum momento *ol. caryophyll. succin. albi rectificat. lign. sassafr. galangæ, anisi* &c. Commendandus etiam *hîc pulvis stypticus Exc. DD. Præs.* cum *ol. terebinth.* irroratus, *crocus ♂ adstring. lapis hæmatites* experientiâ ejusdem, *terra catechu*, cujus usum probatum invenit *Hagendorn. artic. III. p. 71. Cerussa* ℥ij, quam *Digby medic. experim. p. 65.* laudat, ex regulo simplici & ♂tiali facta, *magist. testar. ov. & opercul. cochl.* &c. Ex balsamicis & nervinis, *castoreum, xyloalve, nucista*, cujus singularem efficaciam in muliere biennio hoc malum patiente legere licet in *observat Reusnerianis à B. Welschio editis p. 55. Tragea hysterica Quercetani* apud *Schröderum, Horstii c. l.* &c. quibus remiscenda alia, pro fluoris accidentibus, & intentione medici, veluti pro doloris ratione quandoque anodyna, *magister. anodyn.* cum *succino*, pro absorbendi fine *pulvis absorb. Exc. DD. Præs. in Opiol. p. 114. & p. 127.* Pro fœtore abigendo *camphora* potest addi medicamentis, quam laudat *Fernelius libr. 6. Therap. c. 1. & Wecker in antidotar.* non immeritò, utpote quæ egregiè dissipat odores, à putredine & σήψει, vel aliunde ortos, qui profluvium δυσώδες & βρωμώδες conciliant. Roborandi usu nervina, zzina & alia pro variis casibus aptanda. *Crato* commendat hunc in usum sequentem pulverem, ex *gran. cherm.* ʒiij. *nucis conditæ tost.* ʒj. *thuris albiss.* ʒß. item *grana mastiches* cum potu sumpta *consil. medic. 341.*

Ex abstergentium familia huc arcessendum experimentum *Zacuti Lusitani in Prax. admirand.* qui Emuls. seu cremorem sem. lactuc.

ctuc. cum ▽â chalybeata extractam, addito ebore subtilissimè præparato fæminis cum successu propinavit, referente *Welsch. Cent. II. obs. 95. Mictomim. p. 47.* quod tamen prius ibidem nominato *Meynoldo* potius debetur. Idem inter rara experimenta, & sæpenumero feliciter probata adversus albas mulierum fluxiones accepisse se in Italiâ, asserit *Bartholinus in Act. Hafn. Volum V. p. 123.*

Domin. Panarolus obs. 48. Pentecost. 2. decoctum Nucis pineæ cum visci quercini portione in potu administratum laudat.

Helmontius uteri vitia sanasse se dicit per ℞am corallii volatilem, oleum succini & ⊖em chalybis, *l. Ignot. act. regimin. §. 46. p. m. 342.*

Nolo huc trahere plura specifica vegetabilia, quæ apud Botanographos in hôc vitio largâ manu exhibentur, quæ nempe partim jam tacta, partim apud eosdem evolvi possunt; veluti de anserinâ etiam in calceis gestata *Pancov. herb. portat. p. 39.* de sideritide, alchymillâ, cymbalariâ, rad. sigill. salom. nucum castanearum interiori tunicâ rubente &c. vid. *Dodon. in pemptad. Sim. Pauli in Q. B. Hoffm. M. M. Schröderus* & ejus *clavis*.

Id solùm addendum restat, in casu dubio, si fæmina libidinosa sit, nec ♀e utatur, vel virgo nubilis de materiæ seminalis abundantia & appetitu ♀eo suspicionem præbeat, præter suadendum conjugium, posse prioribus medicamentis maritari *antaphrodisiaca* dicta, seri, & ejus floris & prolis seminis, turgescentiam imminuentia, spirituumque impetum ad partes genitales factum refrenantia, qualia sunt *mentha, ruta, cannabis sem. viticis, fol. salicis, nymphææ* &c.

Ita quoque ἐπιγινομένοις & ἑπομένοις symptomatibus occurrendum, ne in arte augustissimâ quicquam deficere videatur, unde depromenda quoque subsidia.

EXTERNA seu Topica cœteris complementum addunt, in quibus licet multum quærant autores auxilii, parùm tamen firmi inveniunt. *Thermæ*, tùm naturales, exsiccantes, præsertim ♁eæ, aluminosæ, bituminosæ, aut ferrariæ, à *Cratone, Riverio, Platero, Sennerto* & aliis laudantur Practicis, si nempe malum oriatur ab ulcere, sterilitate, recrementis uteri, & si alia non juvent; tùm artificiales, seu balnea ex dictis mineralibus, adjectis vegetabilibus nunc adstringentibus

 & ner-

& nervinis roborantibus, nunc abſtergentibus, parata cum ▽is ferrariorum,& vino rubro coquendo, in quibus deſcribendis prolixâ utitur operâ ſuaſor eorundem *Oſwald. Grembſ. c. l. & alii.* Illis tamen non utendum (1.) in principio, niſi præmiſſis univerſalibus & internis, (2.) præſervativè magis extra fluxum, pro abſterſione, quàm curativè locum habent; quod balnea in his & ſimilibus fluxibus, ut & menſibus immodicis non ſint fida adſtrictoria, ob elementa, ex quibus primariò conſtant, calidum & humidum, laxantia magis poros quàm adſtringentia, nec etiam ſufficienter abſtergant, monente *Exc. D. Præſ. libr. 1. de med. fac. ſect. 2. c. 2.* (3.) magis ſi uterus per ſe laboret, quàm ſi à toto fluxus oriatur; (4.) uſu magis interpolato & diſcreto, quam continuo, ne effæminetur natura; (5.) cum ſacculis & fomentis roborantibus uterinis cum vino coctis ſimul applicitis, quibus uteri & pubis regio foveri poteſt; (6.) ventriculo annuente, non renuente &c.

Injectiones & *clyſteres uterini*, metrenchytæ dicti, pro abſterſione parietum uterinorum, & vaſorum impuritatum, ex ſuprà dictis confieri poſſunt, veluti ap. *Sim. Paulli in Q. B. c. l.* talis extat, in ſterilibus ex fluore albo laudatus, & apud illos, qui de morbis mulierum commentati ſunt, ubertim videri poſſunt, ex decoctis *vinc. pervinc. malicorii, roſ. rubr. myrtill. menthæ rubr. lign. ſancto, cum ſirup. de roſ. ſicc. myrtino, ſtoechad. ſucc. acac. hypoc.* Talem vide etiam apud Pareum *libr. de gen. hom. c. 60.*

Peſſaria & naſcalia, ſi quidem ad talia depuduerint fæminæ, vel medicum hæc ordinare non indecens fuerit, etiam huc pertinent; qualis encolpiſmus apud *Heer. obſ. libr. 1. p. 133.* legitur, ex ſucco ☿ialis & coagulo leporis, in ſterilibus, utero humidiore multam pituitam indies per pudenda excernentibus, profuiſſe, ut matres evaderent, veſperi in lecti ingreſſu uſurpatus. Item *ex ſucco plantagin. acac. burſæ paſtor.* &c. cum pulveribus *rad. tormentill. plantag. biſtort. croc. ♂ adſtring. melle roſato, anthoſato*, vel *theriacâ* & *terebinthina*, aut ovo conquaſſato exceptis, cavendo nimis acria & irritantia.

Emplaſtra & *Cerata* roborantia uterina, pubi appoſita & lumbis, etiam commendantur, v.gr. ex *ungvento Comitiſſ.* cum *ol. maſtichin.*

chin. cydon. & ſimilibus, ſuperaddito *cerato Horſtii libr. IV. de morb. mul. obſ. XVIII. Empl. de galbano, de tacamahac. laudan. maſtich. Empl. Zacut. Luſitani libr. 3. prax. Hiſt. c. 11. obſ. 3. diaphœnic. calid. & frigid. malax. c. ol. caſtorin. myrtino, eſſ. balſ. Peruv.* &c. Quò refer epithemata ex vino rubro auſtero, cum herbis uterinis decocto, Cataplaſma *Simonis Pauli*, ex decocto fragariæ in vino, pubi applicatum, &c.

A Balneorum & detergentium uſu, *ſuffitus* per infundibulum vel ſellam perforatam vaporariam exipiendi, ex *ſuccino, g. animæ, ſandalo citrin. maſtiche, ſtyrace, benzoe, caryophyll. aromat. Nuc. Moſch. roſ. rubr. fol. ſalv. thure, ſandaracâ, alipt. moſchat.* & aliis commendatis, vel in pulvere, vel in trochiſcos cum mucilag. tragacanth. formatis.

Nonnulli addunt magneticam curam, ſi linteo excepta materia camino ſuſpendatut; *vid. Gruling. cent. 3. obſ. 23.*

CAPUT XII.
Diætæ regimen præſcribit.

OPtima eſt vivendi ratio in fœminis, quæ non peccat in DIÆTÆ regulas, quæque habitui, ætati, temperamento conveniens, aureâ mediocritate, inter exceſſuum & defectuum plurima incommoda & noxas triumphat, quâ ſexui imbecilliori adhærentes aliàs calamitates ſi non declinantur, temperantur tamen & mitigantur, imò præcaventur. Quantum autem in morboſis interſit ſartum tectum oeconomiæ corporis aptum ſervare moderamen, per rerum non naturalium legitimum uſum, dici vix poteſt, cùm amica cum medicamentis concordia, hac vivendi juſtâ lege promota, junctis quaſi viribus & unitis, omnes malorum infeſtantium corpus, diſſonantias & diſcordias edomare magis potens ſit, & ſuperare, & contrà ea, neglecta rerum corpus conſervantium obſervatio imperfectæ ſanitatis non ultima exiſtat cauſa.

Hinc cùm, delibatis pharmacorum hactenus aptorum materiis, malo contraiverimus, nunc ex DIÆTA quid ſvadendum ſuperſit, brevibus notabimus. Et quoad VITALEM quidem, cujus

prima cura esse debet, AEREM, si potis est, fœmina eligat purum, temperatum, æqualem, ad calidum & siccum, vel moderatè humidum inclinantem, vel arte talem efficiat; evitet autem pluviosum, humidum nimis, udum, nocturnum, nebulosum, frigidum, austrinum. Mutationes omnes subitaneas ex frigido in calidum, & vice versâ, aeris locorumque insvetas, periculosas sibi ducat, & hinc fugiendas; quo fiet, ut calor animalis redintegratus magis vincat humidum superfluum.

In NATURALI, VICTUM instituat naturæ convenientem, & morbo contrarium; id est; Cibis vescatur laudabilis succi, facilisque digestionis, quique parum excrementitii secum occulunt, iisque in quantitate modicâ & paucâ, in qualitate siccis magis & solidis, quàm humidioribus utatur, hinc assis potius quàm elixis, vel si his, aromatibus *cinnam. cardamom. caryophyll. nuc. mosch. mace, salv. artemis. rosmarin. majoran. thymo, pulegio*, & aliis similibus medicamentosis conditis & correctis s. q. Non admittenda frequentius juscula & liquidiora, inprimis si ventriculi περίληψις læsa. Lacticiniis, farinaceis, non fermentatis, frixis, viscidis valedicat, ⊖e & muriâ macerata, fumo indurata, v. gr. carnes porcinæ, pisces in ▽is stagnantibus degentes, item acida, acetum, pinguia, oleracea, leguminosa, fructus horarii, ▽osa, verbo, cruda omnia in esum & usum non, vel parcè veniant. Loco horum carnes substituantur sanorum & juniorum animalium delicatiores, gallinarum, aviculatum montanarum, consilio *Galeni de præcog. ad Posthum. c. 8.* perdicum, turturum, alaudarum, pisces saxatiles &c. A pastu convenit panis mellitus, aromatisatus, *coriandrum, masliche, caro cydon. tragéa* cum pane tosto vino inebriato, & alii pulveres peptici, item castaneæ, mespila &c.

POTUS non sit nimius, cerevisia defecata, lupulata, quandoque cum herbis appropriatis medicata, potum ordinarium constituere potest. Vinum quoque annosum, rubrum, vel similiter cum uterinis alteratum & exaltatum bibisse conducit; absit secundaria cerevisia, & feculentæ potiones aliæ cruditatum fomites.

In ANIMALI, SOMNO non dedat se nimium, nec vigiliis, utrisque vero satisfaciet modum tenendo. Decubitum supinum negligat,

gligat. ALVUS, urina, ſudor bene procedentia ſanum præſtabunt corpus, quæ ſi ſegnius vel non ſuccedant, natura monenda, vel ſolicitanda erit, nihil tamen invitâ movendum eâdem. MENSIUM quoque in conſvetis ordinaria habenda cura, ut in ſingulis debite & εὐφόρως, pro ætatis, temperamenti & conditionis, vitæque generis ratione, naturæ fiat ſatis.

MOTUM blandum & lenem vitæ ſedentariæ præferat, ne capiant vitium, nî moveantur aquæ microcoſmicæ. Veneris uſus parcior ſit in conjugatis, à quô temperare ſibi aliquantum commodo ſibi ducet.

ANIMI tandem PATHEMATA, præſertim ad melancholiam & triſtitiam vergentia, forti reprimat animo, ſpirituum ne turbetur ordo, motusve regularis, neve ſeri & ſanguinis σύστασις detrimentum inde incurrat. Terror, metus, ſolicitudo, ne quatiant corpus omni curâ ſtudioque cavendum, quin ſereno animo & imperturbato, quoad fieri poteſt, cunctis occurrendum, & felicia vitæ, ſanitatisque ſperanda tempora.

Deo Sit, Laus Honor & Gloria.



Xultat ſequior ſexus, Clariſſime THILLI,
Dum medicum morbis Te videt iſte ſuis.
Ingenii dotes claras *fluor* indicat *albus*,
A quô clara Tibi Fama ſubindè fluet.
Jam Nymphæ nectunt amaranthi ex flore coronam
Immarceſcibilem, quam precor ex animo.
Hæc ſit fauſta tuo capiti! Doctoris honores
Propediem ſummos addet Apollo Tibi.

Hos feliciſſimos, ſimulque invidendam praxin, ſolidiſſimæ tuæ eruditioni reſpondentem ὁλοκαρδίως *prec.*

Auguſtinus Henr. Faſchius, D.
Anat. Chirurg. & Botan. Prof. Publ. Archiater Ducal. Saxonicus, p. t. Academiæ Rector.

Nunc

NUnc, dum MARS & MORS crudelia fata minantur
Europæ, & claros multi ſe reddere Marte
Gaudent, ut ferro detrudant finibus hoſtem;
Tu, THILLI, rectâ Mortem depellere tentas
Arte, ut ſervari ſic poſſit vita cuique.
Laudandus veſter conatus, quo ſupereſſe
Illi, queis lucis MARS & MORS invidet uſum,
Sic poſſunt. Utrisque beans concede Jehova,
Ut capiant ſperata brevi condigna brabéa!

Properante calamo, ſed
ὁλοκαρδίως
ad precatur
Rud. VVilh. Krauß/
Phil. & Med. D. P. P.

THILLI, Pæoniæ gentis prænobile germen,
Te pietas, candor, doctrina, modeſtia, dudum
ſignarunt doctis genuinâ laude coruſcum.
Nunc verò matura ſeges, nunc præmia ſurgunt,

præmia

præmia virtuti condigna, & divite cornu omnigenum decus atque amplam fundentia famam.

CL. CANDIDATE,

Hactenus nostris innutritus studiis imbuisti animum sufficientissimâ artis peritiâ, comes praxeos nostræ assiduus, auditorii prima gloria, & individuus assecla docentis. I nunc, & prævio ultimo certamine meritissimos capesse honores, fructus uberrimos, Deo benedicente, in publicum effer, invidendis successibus opem laturus ægris, id quod ex animo benevolo non tam voveo quàm certò promitto

Georg. VVolffg. VVedelius.



Stra quot in Cœlo, totidem fert sidera Tellus.
Illa micant radiis, floribus hacce nitent.
Utraque dum spectas, spectas tamen utraque semper,
Activum certè Numen utrinque vides.
Hoc dum spectando veneraris, præmia summa
Jure Tibi tribui Mundus uterque probat.

Gratulab. Amico depropter,

Erhard. VVeigelius, P.P.